

Gr. Math.
C684.80
Bd. 1873.
SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
By Exchange
of Duplicates,
28 December, 1864.

DE

HIPPOLYTO

EPISCOPO, TERTII SAECULI SCRIPTORE.

COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA

IN

CERTAMINE LITERARIO CIVIUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

DIE IV. M. JUNII MDCCCXXXVIII

EX DECRETO

VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS

PRAEMIO REGIO ORNATA.

SCRIPSIT

CAROLUS GUILIELMUS HAENELL,

LÜCHOVIENSIS.

῞Οπου νοοῦμεν ἀμφιβάλλοντες λέγομεν.

Hippolytus de Antichristo cap. 50.

GOTTINGAE

EX OFFICINA FRIDERICI ERNESTI HUTH.

Ordinis S.. V. de hac dissertatione judicium :

»Alter laudabili diligentia, quae de Hippolyto scripta sunt, maximam partem legit, et feliciter plerumque adhibuit: in quaestionibus variis, quae de Hippolyto exoriuntur, tractandis et solvendis, etsi nonnullae, quas protulit, opiniones audaciores videantur quam veriores, circumspecte et acute versatus est: oratio tamen passim curas secundas desiderat.«

VIRIS CLARISSIMIS

SUMME VENERANDIS

DAVIDI JULIO POTT

ORDINIS GUELPHICI EQUITI

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

ORDINIS THEOLOGORUM SENIORI

REGI HANNOVERAE A SACRIS IN CONSISTORIO SUPREMO CONSILIIS

MONASTERII MARIAEVALLENSIS IN DUCATU BRUNSVICENSI ABBATI

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

GOTHOFR. CHRIST. FRIDER. LÜCKE

THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI

REGI HANNOVERAE A SACRIS CONSILIIS

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

JO. CAROL. LUDOV. GIESELER

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

REGI HANNOVERAE A SACRIS CONSILIIS

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

FRIDERICO GUILIELMO RETTBERG

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

FAUTORIBUS BENEVOLIS

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

ORDO THEOLOGORUM SUMME VENERANDUS

postulaverat, ut

> de Hippolyto, saeculi tertii scriptore, cum de vitae ejus rationibus, tum de scriptis, quae tribui ipsi solent, dissereretur, denique, quinam usus his tribuendus esset, exponeretur.

Quam quaestionem quum Ordo S. V. proposuisset, non multum post animum meum, qui juvenili ardore incensus ad historicas lucubrationes minus inclinaret, quam ad liberam illam rerum perscrutationem, qualem philosophia concedere videtur, subiit dictum illud magni Schleiermacheri [1]), quo juveniles adhortatus est theologos, ut studium historiae ecclesiasticae ex ipsis fontibus petendum in una saltem quaestione periclitarentur. Quandoquidem igitur data hac occasione meliorem non posse sperari mihi persuaseram, in arenam civium almae Georgiae Augustae descendere sum conatus.

Quod attinet ad tractationis ordinem, eam in tres partes esse dividendam, ex proposita quaestione ipsa satis elucet, ita ut nobis agendum sit

in prima parte de Hippolyti vita,
in secunda de ejus scriptis,
in tertia de dignitate, quae ei theologo attribuenda sit.

---

1) Kurze Darstellung des theologischen Studiums. 2te Aufl. pag. 79. »Jeder Theologe muss wenigstens an einem kleinen Theile der Geschichte sich im eigenen Aufsuchen und Gebrauch der Quellen üben.«

Quaestioni autem ad quempiam idoneum finem perducendae vires nostras haudquaquam pares arbitramur, praesertim quum de Hippolyto tam pauca a veteribus relata sint, ut de ejus vitae rationibus hodie vix accurate disputari possit. In tantis enim rerum tenebris, quantae personam et vitam Hippolyti circumdederunt, quid praeter veritatis speciem jam proferre licet? In eo igitur acquievimus, ut probare studeremus, quod ad veritatem proxime accedere videretur. — Ac quidem juvenes juveniliter tractant.

Itaque commentationem, quum clementia atque venia Ordinis S. V. ornata esset, cujus rei intimo pectore gratias dico quam maximas, jussus typis exscribendam timidus curavi. Veniam igitur peto a viris doctis, si qui hasce studiorum primitias dignas putarint, quas inspiciant. — Ceterum hoc tantum precor, ut Deus O. M. praeceptoribus grato atque pio animo dilectis, qui in me juvene erudiendo tantam navarint operam, benedicturus, meas autem vires juveniles adjuturus sit, ut aliquando dignus sim, qui ministrem ecclesiae Domini nostri.

D. Bonnae, die XVIII Augusti, a. MDCCCXXXVIII.

C. G. Haenell.

Pars I.

De Hippolyti vita.

Prooemium.

§. 1. *Diversae de Hippolyti vita sententiae proferuntur.*

Antiquissimi, qui Hippolyti nostri omnino meminerunt, scriptores episcopi dignitatem ei tribuunt, sed non indicant urbem, in qua functus fuerit episcopatu. Inter quos est Eusebius 1), Hieronymus 2), Theodoretus 3). Gelasius episcopus Romanus 4) laudat Hippolytum episcopum

1) Eusebius historia eccl. IV, 20.: *ὡσαύτως δὲ καὶ Ἱππόλυτος, ἑτέρας πον καὶ αὐτὸς προεστὼς ἐκκλησίας.* Sunt, qui, putantes »πού« significare »aliquando«, ita illum locum reddere velint: »Similiter Hipp. alterius, circiter Bostram scilicet, Parochiae episcopus.« Sed si ad sententiarum tenorem in illo loco perspicuum respicimus, patet, supplendum esse ad verba »ὡσαύτως δὲ καὶ Ἱππ.« »ἤκμαζε«; in qua vero urbe functus fuerit episcopatu, indefinite indicatur verbis *ἑτέρας πον* etc. cf. Stephan le moine (Theologus Leydensis) Varia sacra. Lugd. Batav. 1684. Tom. I. in prolegomenis ad candidum lectorem. In Scaligeri graeco Eusebii chronico haec leguntur: »Ἱππόλυτος, ἱερὸς φιλόσοφος, ἐπίσκοπος πόρτου τοῦ κατὰ τὴν Ῥώμην etc.« In chronico autem ex Eusebii Pamphyli lucubrationibus breviato, quod edidit Angelus Majus (veterum scriptorum nova collectio Tom. I. pars 2. p. 4 et 5) Romae episcopus Hipp. nominatur. Sed uterque locus vere Eusebianus esse non potest, quum intelligi nequeat, cur Eusebius, si sedem Nostri episcopalem constituerit in chronico, quod prius confecit quam historiam ecclesiasticam (cf. G. Cave scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria. Basileae 1741. Tom. I. p. 178.), omiserit in hoc libro eadem referre. Deinde quomodo fieri potuerit, ut Eusebius in eodem scripto diversum indicaverit Hippolyti sedem episcopalem, conspici nequit. Accedit, quod Hieronymus, qui Eusebii chronicon legit atque in latinum transtulit sermonem, confitetur, se non potuisse scire nomen urbis, in qua episcopus fuerit Noster. Itaque suspicor, eum, qui breviaverit Eusebii chronicon, addidisse, Hippolytum Romae versatum esse, id quod de eo postea dicebatur. Eodem modo judicaverim de loco, quem affert Angelus Majus (l. l. Tom. I. pars 2. p. 173), ubi laudatur ab Apollinario Hipp. episcopus Romae, nam offendit, quod nullo alio testimonio confirmatur, Nostrum ante saec. VI. putatum fuisse Romae episcopum.

2) In chronico et in catalogo scriptorum ecclesiasticorum cap. 61.

3) Cf. titulos fragmentorum, quae ex Hippolyti operibus servavit, infra laudatos.

4) De duabus in Christo naturis (Tom. VIII. bibl. Patr. ed. Lugdun. p. 704).

et martyrem Arabum metropolis. Circa annum 600 exorta videtur opinio, eum Romae fuisse episcopum, quam primo prolatam invenimus a Leontio Byzantino [5]), tum a nonnullis, qui ejus libros citant [6]). Itaque hujus opinionis origo derivanda videtur a Graecis. In fine saec. IX. primo nominatur Hippolytus episcopus Portus Romani a Georgio Syncello [7]). In eodem loco eum collocant Zonaras [8]) et Nicephorus Callistus [9]). Recentiores, qui hanc sententiam defendunt, Simon de Magistris [10]), Angelus Majus [11]), Ideler [12]), Platner [13]). Quae sententia inde originem duxit, quod Hippolyti tempore alius Romae episcopus nominatur, atque ejus nomen omnino non invenitur, in catalogo patriarcharum Romanorum. Commoti statua, de qua in sequenti latius disseremus, qui scripserunt centuriones Magdeburgenses [14]) Nostrum nominant episcopum Ostiensem. Stephanus le moine autem in fine saec. XVII., qui opinatur, Hippolytum vixisse in regionibus orientalibus, conjecit, illum episcopatu functum esse Adanae, cui cognomen fuerit ἐμπόριον Ῥωμαίων [15]). Quem sequuntur Cave [16]), Oudin [17]) atque novissimus Ullmann [18]). Nominatur etiam Hippolytus episcopus gentium. Novissimi, qui latius de eo disseruerunt, viri docti in dubio relinquunt, ubinam habuerit sedem episcopalem [19]). — Multo autem difficilius est, dijudicare de loco, ubi martyrium subiverit Hippolytus, nam nimis confusa sunt martyrologia, in quibus de eo disputatur [20]). Itaque aenigma sane videtur ejus historia tam difficile, ut hodie vix solvi possit.

Additamentum »Arabum metropolis« propter constructionem suspectum videbatur Tillemontio (memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique. Tom. 3. p. 672). Cujus sententia refellitur in Actis Sanctorum mense Augusto Tom. IV. p. 508. Certo haud facile fieri potuit, ut illa adjungerentur a postero quodam, quum sententia, in Arabia Hippolytum fuisse, saec. demum XVII. iterum existeret.

5) Lectione III. de sectis p. 480. Nicephorus autem (in chronographia) et Anastasius (in hist. eccles.) Hippolytum nominant non episcopum Romanum, sed scriptorem Romanum.

6) Ita Joannes Damascenus. cf. fragmenta, quae e Nostri libris ille servavit, infra laudata. — Angelus Majus l. l. Tom. I. praef. p. XXXV; Tom 7. p. 14 et 84. Ibidem vero p. 68 et 134 ex ejusdem scriptis fragmenta citantur, in quorum inscriptionibus non mentio fit sedis episcopalis Hippolyti.

7) In chronographia ad annum 215.

8) Tom. 2. Annal. 9) Hist. eccles. IV, 31.

10) Daniel secundum LXX. ex tetraplis Origenis. Rom. 1772 in praef. № VII. p. XXVI sqq. 11) l. l. Tom. I. praef. p. XXXV.

12) Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie. Bd. 2. S. 213.

13) Beschreibung der Stadt Rom von Platner, Bunsen, Gerhard, Röstell. Bd. 2. Abtheilung 2. p. 329.

14) III, 10.

15) L. l. Tom. I. in prolegom. ad candidum lectorem.

16) L. l. p. 102.

17) Commentarius de script. eccles. antiquis Tom. I. p. 222.

18) De Beryllo Bostreno. Hallisches Weihnachtsprogramm. 1835. p. 8.

19) Gieseler Kirchengeschichte. 3te Aufl. Th. 1. p. 274. Neander Kirchengeschichte Th. 1. Abtheil. 3. p. 1148. Schmidt Handbuch der Kirchengeschichte Th. 1. p. 519 sqq.

20) Cf. Acta sanctorum (mensis Augusti Tom. IV. p. 506).

§. 2. *Quo tempore Hippolyti statua confecta fuerit.*

Inter testimonia de Hippolyti vita non parvi momenti habendum videtur monumentum antiquum, quod anno 1551 in aede Laurentiana ad Urbem Romam effossum est. Qua statua, quamquam tacitum relinquitur nomen, significari Hippolytum nostrum constat, quum in illa inveniantur et canones sedecim annorum paschalis et lemmata librorum, quorum auctorem Eusebius et Hieronymus illum faciunt [1]). Quod antiquum monumentum a Marcello II. in bibliothecam Vaticanam deportatum nunc invenis introiens in illud museum vaticanum, in quo servantur antiquitates christianae [2]). Inferiorem tantum figurae partem atque sellam, in qua sedet episcopus, ex antiquo tempore originem ducere, contendit Platnerus [3]). Caput illius statuae recentiori tempori adjudicandum esse, docet Hase [4]). Ante septimum, non vero ante quartum saeculum confectam esse statuam, Platnerus concludit ex litterarum forma. Non ante saec. V. statuam confectam esse, ex eo quoque recte concludit, quod cogitari nequeat, jam ante saec. IV. in illis terris Christiano alicui positam esse statuam [5]). Quam multum post Hippolytum mortuum confectam esse, inde quoque probatur, quod catalogus librorum in illa designatus omnino mancus est. Sane igitur longum est spatium, cujus certum temporis momentum investigare debemus statuae confectae. Eam perfectam esse saec. IV. cogitari nequit, nam si tum adfuisset in illo loco, in quo reperta est, Hieronymus, qui diu Romae versatus diligenter studuit historiae ecclesiasticae, eam esse scivisset ejusque mentionem fecisset. Vix ejus origo derivanda est a saec. V.; nam exspectandum videtur, Gelasium, Romae patriarcham, qui magni aestimavit Nostrum, si de marmoreo illo monumento cognovisset, aliquo modo ejus meminisse, idque eo magis, quum eum offendere debuerit, quod Hippolyto, quem Arabum metropolis episcopum et martyrem putaverit, statua ad Romam collocata fuerit. Idem eo confirmatur, quod a Victorio Aquitano [6]) traditur, in Hippolyti canone paschali inveniri inter sedecim annos unum saltum lunae, quamquam in statua ipsa duo annotantur anno tertio et undecimo. Quum autem Victorius ille per Hilarium papam Romae commotus esset, ut erueret causas, ex quibus diversae de

---

1) De canone paschali atque catalogo librorum in statua designato alio loco (§§. 13 et 16.) amplius disseremus.

2) Cf. Platner l. l. Designata est statua apud Fabricium (Hipp. opera Vol. I.), d'Agincourt (Sculpture Tab. III, 1.), Angelum Majum (l. l. in fronte Tom. I.)

3) L. l. p. 329.

4) Kirchengeschichte S. 109 edit. secundae.

5) Si Ideler (l. l. p. 224) inde, quod ratio, qua composita est canon paschalis, vitiosa est, concludit, statuam esse confectam non multum post Hippolytum mortuum, cum eo consentire non possumus, nam cur non liceat putare, illam esse confectam, ut memoria illustris patris, qui bene meruerit de rebus christianis, celebraretur (cf. Platner l. l.), vel ut posteris canone inscripto traderentur principia, ex quibus computare solebant Latini Dominicam paschalem cf. p. 8 et 143.

6) Cf. apud Idelerum l. l. p. 277.

die paschali ortae essent sententiae[7]), opinari licet, Hilarium, si de statua cognovisset atque de canone in illa inscripto, Hippolyti canonem descriptum Victorio misisse, ut rem rectius dijudicare posset. Itaque quum statua confecta videatur saec. VI., quaerendum est, num occurrat in historia certaminis, quod erat de Dominica paschali, aliquid, quod ansam statuae conficiendae fortasse praebuerit. Talis ansa vero nobis occurrere videtur in saec. VI. medio in eo, quod Dionysius exiguus Romanis persuadere studuit, ut sequerentur in paschali festo computando canonem Alexandrinum[8]). Quo efficiebatur, ut Latini ipsi discordes inter se bellarent[9]). Victorius enim Aquitanus non accurate constituerat, quo die anni 550 celebrandum esset festum paschale, sed duos indicaverat dies (17 et 24 mensis Aprilis), inter quos eligere liceret. Nonnulli igitur Latini per Dionysium illum commoti voluerunt, festum celebrari ex principiis Alexandrinae computationis die 24 mensis Aprilis, alii autem ex principiis computationis latinae die 17 mensis Aprilis. Verisimile vero videtur, Romanos, quum Victorius diem paschalem anni laudati dubium reliquisset, respexisse ad canones, quibus prioribus saeculis usi fuissent. Quum autem, quia multi Latini eo tempore jam fovebant principia computationis Alexandrinae, timendum esset, ne Romanorum festi paschalis computandi methodus omnino periret, opinari sane possumus, Romae pontificem et antistites, qui imperium summum arcessere studerent, curasse statuam conficiendam eo consilio, ut, etiamsi ex canone Hippolyti Dominicam paschalem computare nollent, principia tamen Romanae computationis probata testimonio illius veteris atque celeberrimi patris posteris traderentur. Itaque fieri potuit, ut illi etiamsi non putaverint, Hippolytum in terris versus Occidentem sitis vixisse, ei ad Romam statuam collocarent. Annotandum est, statuam eodem loco repertam esse[10]), in quo Hippolyti cujusdam coemeterium collocat Prudentius[11]). Inde concludit Platnerus[12]), Hippolytum vere Portus Romani fuisse episcopum. Sed minus recte; nam inde hoc tantum patet, illo tempore, quo statua confecta fuerit, putatum fuisse Hippolytum martyrem Portus Romani, non autem ejusdem urbis episcopum. Quum autem infra[13]) demonstraturi simus, a Prudentio laudatum esse aliquem alium Hippolytum, patet alius Hippolyti reliquias servatas esse in illo coemeterio, in quo inveniebatur Nostri statua, indeque constat, illam de Nostri martyrio sententiam, inde ortam, quod duo viri ejusdem nominis commiscerentur, omnino veritate carere.

Quum in illo loco martyrem Nostrum fuisse Romani tradiderint in medio saec. VI., in fine ejusdem saeculi facile existere potuit apud Graecos opinio, Nostrum non solum fuisse martyrem sed adeo episcopum Romae[14]).

7) Ibid. p. 284. 8) ibid. p. 283.
9) Ibidem, cf. Beda de temporum ratione cap. 49.
10) Cf. Platnerum l. l. p. 828. 11) περὶ στεφάνων Hymn. 11.
12) Ibidem. 13) §. 6.
14) Si Romae eo tempore non solum martyr sed adeo episcopus Portus Romani putatus fuisset, videre non licet, quomodo factum sit, ut non multum post

Caput I.

Quaeritur, quo tempore Hippolytus vixerit.

§. 3. *Temporis spatium, in quo vixerit, in universum constituitur.*

Constat Hippolytum tertio post Christum saeculo atque inter ejus priores quinquaginta annos vixisse [1]). Difficillimum autem est, accurate constituere et probare, inde a quo usque ad quem annum vitam degerit. Hoc tantum constat, illum floruisse inde ab anno 222 usque ad annum fere 231, nam ab anno 222 incipit canon paschalis, cujus auctor est [2]); ante annum 231 autem confectus esse non potest ejus liber, quem composuit contra Noëtum [3]). Accuratius tamen spatium nobis definituris occurrunt hae duae quaestiones: 1) num fuerit Irenaei discipulus; 2) num et quando martyrium subiverit.

§. 4. *Hippolytus fuit Irenaei discipulus* [1]).

Hippolytum fuisse Irenaei discipulum refert Photius [2]). Cujus quidem auctoritas non ita gravis est, ut ejus verbis solis confidamus. Sed quum contendat, Hippolytum ipsum testari in libro contra haereses, se Irenaei doctrinam secutum esse [3]), deinde quum scriptis Nostri, quae cognovimus, non insint quae sententiam illam refutent [4]), non habemus, quod dubitemus, quin vere ejus discipulus fuerit. Quae similia apud utrumque docentur facile apparebunt ex iis, quae de doctrina Hippolyti infra dicturi simus [5]), nonnulla tamen hoc loco annotare placet.

1) Patet, Hippolytum de Antichristo cap. 50., ubi exponit, quid Apc. 13, 18. significet numerus 666, respexisse ad Irenaei interpretationem hujus loci. Examinat enim triplicem illius numeri interpretationem Irenaeo peculiarem [6]). Omnino eodem modo uterque disserit de Anti-

---

Graeci, qui nescire non potuerunt, alios Hippolyti tempore praefuisse episcopatui Romano, hujus episcopatum in Romam ipsam transtulerint.

1) Euseb. hist. eccles. VI, 20—22. Hieronymus in catalogo cap. 61 et in chronico. 2) cf. §. 16. 3) cf. §. 6 et 46.

1) Clementis Alexandrini discipulum Nostrum fuisse referunt Baronius (Annales ad annum 229 §. 4. et Bullus (de defens. Fidei Nic. III, 8.); sed neque quisquam veterum illud testatur, neque insunt ejus scriptis, quae sententiam illum confirment atque probent. cf. §. 64. Miror, quod Moshemius (institut. hist. eccles. p. 125) contendit, Hipp. totum fuisse Origenianum.

2) Biblioth. cod. 121.

3) Ibid. *ταύτας (αἱρέσεις) δέ φησιν ἐλέγχοις ὑποβληθῆναι ὁμιλοῦντος Εἰρηναίου, ὧν καὶ σύνοψιν ὁ Ἱππόλυτος ποιούμενος τόδε τὸ βιβλίον φησὶν συντεταχέναι.*

4) Vgl. Neander Kirchengeschichte 1r Bd. 3te Abthl. p. 1147. Schmidt Kirchengeschichte 1r Thl. p. 519. Dissentiunt quidem Hipp. et Irenaeus, in minoribus tamen tantum, exempli causa in eo, quod in diverso anno mortem Christi collocant. 5) Cf. §. 64.

6) *Πολλὰ γὰρ εὑρίσκομεν ὀνόματα τούτῳ τῷ ἀριθμῷ (666) ἰσόψηφα περιεχόμενα, οἷον*

christo ejusque in mundum adventu [7]. Ita nixi eodem apud Jeremiam loco [8] contendunt, Antichristum esse ex tribu Dan. Antichristum non cogitant diabolum ipsum, sed virtutem diaboli modo ei adscribunt [9].

2) Irenaeus docuit [10], justos usque ad diem ultimum in pulchro aliquo loco, in paradiso, coram deo versari, fore autem illo die, ut animae eodem vestiantur corpore, in quo vitam priorem degissent. Eodem fere modo disserit Hippolytus hac de re [11].

3) Irenaei discipulum non solum in pugna contra *γνῶσιν ψευδώνυμον* invenies Hippolytum, sed idem adeo cum Irenaeo inhabitasse videtur ei odium contra omnem formam, quae Alexandrinorum more modoque christianam doctrinam philosophicis maxime Platonicis misceret. Erat fortasse in tractandis notionibus dialectica arte Irenaeo acutior, eum vero regebat non minus fida quam integra scripturae sacrae perceptio, quae, spretis istis vagis Gnoseos somniis, res intellexit, sicut verba praebent. Si reputaverimus, Aegyptum vicinasque regiones, in quibus Noster versatus esse videtur [12], Alexandrinis studiis gnoseosque admiratione plenas isto tempore fuisse, dubitabimus, an singularis ejus ratio huic generi paulo infestior aliunde explicari possit nisi a magistri cujusdam auctoritate, quem praeter Irenaeum nominare possum neminem.

Quaerere autem possit aliquis, quonam sensu Irenaei discipulus audiat Hippolytus, num ejus familiaritate usus fuerit, an in scripta ejus incubuerit. Se versatum fuisse in Irenaei scriptis, ipse confitetur apud Photium [13]; utrum vero familiariter etiam usus fuerit Irenaeo, pendet a sola voce *ὁμιλοῦντος*. Quae vox intelligi potest de argumento sacro pro concione tractato [14]. Hippolytus igitur confiteri potest, se ex iis, quae Irenaeus contra haereses publice disputaverit, postea autem litteris tradiderit, ansam ad refutandos haereticos sumpsisse. Ita quidem vix opus erit, ut Hippolytum Orientis fines excessisse putemus. Sin vero primam verbi *ὁμιλεῖν* tenemus notionem, concedamus necesse est, Hippolytum consuetudine conjunctum fuisse cum Irenaeo. Dubii igitur rem in suspenso relinquere volumus, arbitramur tamen, tenendam esse vulgarem illius verbi notionem [15]. Sin consuetudine conjunctus fuit cum Irenaeo Hippolytus, sequitur, Nostrum, quum ille martyrium subierit anno

---

. . . *τὸ Τειτὰν ἐστιν . . . ἢ τὸ Εὐάνθας . . . . φανερὸν δ' ἐστὶν πᾶσιν, ὅτι οἱ κρατοῦντες ἔτι νῦν εἰσὶ Λατῖνοι.* cf. Irenaeus contra haeres. V, 30.

7) Hipp. de Antichrist. cap. 14 sqq. cf. Iren. l. l. V, 25—31.

8) Jerem. VIII, 16. Hipp. l. l. cap. 15. cf. Iren. l. l. V, 30.

9) Hipp. l. l. cap. 57 et 14. cf. Iren. l. l. V, 25. cf. §. 40. p. 92.

10) L. l. II, 23. cf. §. 64.

11) Contra Graecos (edit. Fabr. Tom. I. p. 221) *οἱ (δίκαιοι sc.) ἐν τῷ ᾅδῃ νῦν μὲν συνέχονται, ἀλλ' οὐ τῷ αὐτῷ τόπῳ, ᾧ καὶ οἱ ἄδικοι . . . . οὗτος ὁ περὶ ᾅδου λόγος· ἐν ᾧ ψυχαὶ πάντων κατέχονται ἄχρι καιροῦ, ὃν ὁ θεὸς ὥρισεν, ἀνάστασιν τότε πάντων ποιησόμενος, οὐ ψυχὰς μετενσωματῶν, ἀλλ' αὐτὰ τὰ σώματα ἀνιστῶν.* cf. §. 49.

12) Cf. §. 12.

13) Cf. laudata in Nota 6.

14) *ὁμιλεῖν* pro »orationem ad populum habere« occurrit apud scriptores ecclesiasticos. Cf. Antecyr. Can. 1. et Stephani thesaurum graecae linguae Vol. 5. p. 6743 et 44. Prior autem verbi notio est »conversari cum aliquo.« cf. ibid.

15) Familiaritate alicujus uti.

202 [16]), natum esse non post annum 180. — Vix autem dixerim, eum Smyrnae audisse Irenaeum, nam, quum verisimile sit, Polycarpum in vivis fuisse eo tempore, quo Irenaeus patriam relinqueret, mirum sane videri debet, quod non ipsius Polycarpi Noster audiat discipulus. Inde autem, quod Lugduni cum Irenaeo conversatus esse videtur, non necessarie sequitur, Hippolytum genere Gallum fuisse, id quod volunt Benedictini [17]; nam fieri sane potuit, ut ille commotus magna Irenaei auctoritate ex peregrinis terris eum peteret. Quin imo, quum ne unum quidem fragmentum ab Hippolyto latino sermone conscriptum hodie habeamus, contendam, eum gente fuisse Orientalem.

§. 5. *Num fuerit martyr Hippolytus.*

Jam sumus ostensuri, quo fere anno mortuus esse videatur Hippolytus. Qui quum vulgo martyr nominetur, investigandum nobis est, quando martyrium subierit, antea autem probandum est, illum vere fuisse martyrem. Primus veterum Nostrum martyrem nominat Hieronymus [1]). Mirari autem possit aliquis, quod martyrii Hippolyti non meminerit eo loco, quo amplius de eo disputarit (in catalogo cap. 61.). Quem librum quum ante illos modo laudatos conscripserit [2]), non video, cur non fides tribuenda sit illis locis. Idem probatur eo, quod qui servaverunt Nostri scripta, in omnium fere librorum titulis ei martyris dignatatem tribuunt. Inter quos est maximi momenti Theodoretus [3]) et Gelasius [4]). Itaque non dubitamus, quin adeptus sit martyris coronam Hippolytus, vir tam illustris, quem non exspectari possit effugisse insidias, quas imprimis ecclesiae antistitibus imperatores Christianis infesti parare solebant.

§. 6. *Refutatur sententia, Nostrum martyrium subisse Decio imperante* [1]).

Sunt: qui putent, Hippolytum vixisse usque ad Decium imperatorem, in his nixi causis:

1) Nostrum scripsisse ad reginam quandam, quae putanda sit Severa Philippi Arabis uxor. Nos autem infra demonstrabimus, dubium esse, quae fuerit illa regina [2]).

2) Nostrum refutasse Noëtum, quem vixisse anno circiter 245 retule-

---

16) Cf. Greg. Turon. hist. Francorum. I, 29. Hieronym. in Jesaiam. cap. 64.
17) Histoire litteraire de la France. Tom. 1. Part. 1. p. 361.
1) In commentario ad Matthaeum. Praef. p. VII. Tom. 7. edit. Vallarsii. in epistola 125 ej. edit. ad Damasum quaest. 3.
2) Cf. G. Cave l. l. p. 269.
3) Cf. quae ex nostri scriptis laudat in dialogis. 4) L. l.
1) Martyrologia, in quibus de variorum Hippolytorum martyrio disputatur, tam confusa atque corrupta sunt, ut vix ullam fidem mereantur. Quae igitur omnino negligere conamur; latius autem de iis disseritur in actis Sanctorum l. l. p. 505.
2) Cf. §. 52.

rit Epiphanius [3]. Sed nixi in Gieseleri [4] viri clarissimi auctoritate contendimus, illum anno 230 excommunicatum esse. Itaque, quum Hippolytus ipse dicat, Noëtum non multum, antequam ipse contra illius haeresin conscripserit, floruisse, verisimile videtur, Nostrum conscripsisse illum librum longe ante annum 250.

3) Ad eandem sententiam probandam profertur testimonium Prudentii, qui Hippolytum aliquem martyrem laudet [5]. Ex Prudentii vero carmine hoc tantum liquet, Hippolytum presbyterum, olim sectae Novatianae fautorem, martyrium subisse, ejusque reliquias ad coemeterium Romanum fuisse translatas. Non ita perspicuum patet, eundem presbyterum episcopatu functum esse et conscripsisse opera, quae vulgo Hippolytana laudentur [6]. Carmine ipso nullo loco indicatur, hunc Hippolytum esse eundem, de quo nunc disserimus [7].

Causis igitur refutatis, quae ad sententiam illam probandam prolatae sunt, nonnulla afferre placet; quibus verisimillimum redditur, Nostrum non usque ad Decium imperatorem vixisse.

1) Hippolytus, si vixisset anno 249, intellexisset, quam vitiose canon suus paschalis sit compositus. Illo enim anno luna prima ex ejus canone quattuor fere diebus ante indicatur, quam in coelo vere accidit [8]. Id quod Hippolytum effugere non potuit, qui primo cycli anno lunam primam constituit ex observato lunae in coeli motu [9]. Quod si intellexisset, corrigere sane studuisset canonem suum.

2) Opinari, licet Hippolytum, qui in Arabia episcopatu functus esse videatur [10], si anno 244 vixisset, maximas habuisse partes disputationum, quae de Berylli doctrina illo tempore agebantur. Dixerit aliquis, hac re nihil probari, quum non relatum sit, Hippolytum earum non participem fuisse. Quum vero Berylli doctrina e doctrina Hippolyti evasisse videatur [11], equidem dubito, num Beryllus Hippolyto nixus sententiam suam revocaverit. Sin Hippolytus oppositus fuisset Beryllo, verisimile videretur, eum, qui omnes haereses refutaret [12], contra Beryllum etiam disputasse, id quod nobis relatum fuisse, contendere licet, quum gravissima fuerit Hippolyti auctoritas.

3) Alexander, episcopus Hierosolymitanus, qui defunctus est anno 251 [13], collegit Nostri opera [14]. Hippolytus igitur nonnullis annis ante annum 251 mortuus esse videtur.

Quae quum ita sint, justo jure negamus, Nostrum Decio demum imperatore martyrium subisse.

---

3) Haeresi 57. 4) L. l. p. 240.
5) περὶ στεφάνων Hymnus XI.
6) Cf. Prud. carmina ed. a F. Arevalo. Rom. 1784. Tom. 2. p. 1162. Not.
7) Cf. J. Basnage in Canisii lectionibus antiquis. Tom. 1. p. 4 et 5. In actis sanctorum mens. Augusti Tom. III. p. 7 exponitur, militem aliquem a Prudentio laudatum esse.
8) Quibusque enim sedecim julianis annis praeterlapsis plenilunium tribus fere diebus serius cadere, quam Hipp. canone indicetur, infra (§. 16.) docebimus.
9) Cf. Ideler l. l. p. 217. 10) Cf. §. 12.
11) Cf. §. 64. 12) Cf. §. 44.
13) Euseb. VI, 39. 14) Ibid. VI, 20.

§. 7. *Videtur martyrium subisse Maximino imperatore.*

Refertur, Maximinum persecutum esse imprimis eos ecclesiae christianae doctores, quorum familiaritate usi fuerint Alexander ejusque mater [1]). Inter quos fuit Origenes, quem Julia Mammaea Antiochiam arcessivit [2]). Cum Origene autem amicitia conjunctus fuisse videtur Hippolytus, qui praesente illo habuit homiliam [3]), atque praeterea illum incitasse videtur ad componendos in sacra scripta commentarios [4]). Itaque concludi liceat, Hippolytum Juliae Mammaeae vicinum [5]), nisi antea illi familiaris fuisset, commendatum ab Origene in regiam aulam venisse. Quem cognitum fuisse Juliae Mammaeae, verisimilius quoque videtur, si valet sententia, quam infra [6]) probare studebimus, epistolam scilicet Hippolyti ad reginam quandam Juliae Mammaeae datam esse. Sin igitur verisimile videtur, Nostrum regiae illius familiae amicum fuisse, divinari licet, Maximinum eum quam maxime vexavisse. Sed ut ille non fuerit familiaris Alexandro atque Juliae Mammaeae, Maximinus tamen certo studuit removere virum atque episcopum, celebrem, qui graviter invectus esset in Romanos [7]). Quo die et ubinam martyrium subiverit Noster, has quaestiones certis testimoniis omnino destituti mittimus. Fieri sane potuit, ut in itinere interficeretur, sed ad Romam illum caesum esse, minime putamus, quia Hieronymus locum nescivit, in quo martyrium subisset, atque videre licet, quomodo falsa illa opinio orta fuerit (cf. §. 2.).

Caput II.

Quaeritur, quo loco functus fuerit episcopatu Hippolytus.

---

§. 8. *Hippolytus fuit episcopus.*

Constat, Hippolytum fuisse episcopum Eusebio [1]) et Hieronymo [2]) testibus. Heumannus [3]) vero putat, eum non functum esse episcopatu aliquo ecclesiastico, his quidem causis commotus:

---

1) Idem VI, 28. 2) Idem. VI, 21.
3) Hieronymus in catalogo cap. 61. 4) Cf. §. 59.
5) Cf. §. 12. 6) §. 52.
7) De Antichristo cap. 25. et 50. — In Actis Sanctorum (mensis Augusti Tom. IV. p. 507), ubi quidem sententia nostra refellitur, inter causas, quae nostram probare videntur, haec profertur: ex martyrologiis patere Nostrum fuisse martyrem Ulpio consule, Ulpium autem consulatu functum esse Maximino imperatore. Sed Ulpii nomen non occurrit apud Eckhel (doctrina veterum nummorum Pars II. Vol. VII. p. 290 et 291), qui hos nominat consules Maximino imperatore: anno 235 Severum et Quintilianum, 236 Maximinum et Julium Africanum, 237 Perpetuum et Cornelianum, 238 Pium et Pontianum.

1) VI, 20.
2) Catalog. cap. 61. 3) Primitiae Goettingenses p. 240 sqq.

1) Quia necesse sit, Hieronymum, tot exstantibus Hippolyti libris, scivisse locum, in quo fuerit episcopus.

2) Quia verisimile sit, ecclesiam, cui praefuerit, professam esse atque praedicasse, illum ipsius fuisse antistitem, id quod ei laudi versum fuerit maximae.

Qua ex re suspicatur Heumannus, episcopum hic ampliori sensu significare inspectorem, qui praefuerit alicui civili muneri. Hippolytum autem, quum multis libris christianam doctrinam illustraverit atque defenderit, nullo modo putare possumus, munere civili functum esse. Praeterea si fuisset Laicus, eo magis opinandum esset, notum fuisse, in quo oppido civili muneri praefuisset, quum ipse Laicus eruditione atque sacrae scripturae cognitione multos superaret episcopos. Verisimillimum denique videtur, Hieronymum, qui tam diu Romae versatus fuerit, scivisse, Nostrum episcopatui civili praefuisse Portus Romani, in quo loco eum fuisse contendit idem Heumannus. — Sunt, qui ex Hieronymi epist. 70 ad Magnum concludant, Hippolytum fuisse senatorem Romanum. Sed quum in nonnullis codicibus legatur pro »senatores« »senator« [4]), atque quum illa dignitas Nostro non tribuatur ab Hieronymo in catalogo, hoc loco legendum puto »senator«. Deinde quum vix invenias, episcopum una senatoris munere functum esse Hippolyti tempore, nullo modo eum senatorem fuisse concedimus.

Archiepiscopi dignitatem ei tribuit G. Syncellus [5]), sed quum idem illum in alio ejusdem libri loco [6]) nominet episcopum, sententiam illam refutamus, quae omnino veterum testimoniis caret.

Denique quidam conjecerunt [7]), Hippolytum fuisse episcopum gentium. Quam tamen dignitatem a seriore tempore originem ducere, constat.

§. 9. *Hippolytus non fuit episcopus Romae.*

Jam vidimus (cf. §. 1.), quomodo et quando orta sit sententia, Nostrum Romae functum esse episcopatu. Testimoniis igitur externis non cogimur, ut illam sententiam, quae hodie ab omnibus rejiciatur, veram putemus. Accedit, quod in catalogo Romae pontificum omnino non occurrit nomen Hippolyti, atque alios ejus aetate Romae fuisse episcopos, testatur Eusebius. Deinde quomodo effugere potuit Hieronymum, Nostrum, si vere Romae episcopatui praefuisset, ibi versatum esse?

§. 10. *Non fuit Portus Romani episcopus.*

Si constat, Nostrum non fuisse episcopum Romae, eo minus verisimile est, eum Portus Romani habitasse [1]). Nam supra exposuimus (§.

4) Cf. Heumann l. l. p. 246 et in Poecile Tom. 2. lib. III. p. 347.
5) In chronographia ad annum 215 p. 315 apud Fabric. Vol. I. p. 43.
6) Ibidem p. 358 apud Fabric. Vol. I. p. 42.
7) Hist. litter. de la France par des religieux Benedictins. Paris 1733. Tom. 1. Part. 1. p. 363.
1) Inter recentiores, qui defendunt hanc sententiam, gravissimus est Simon de

1.), hanc sententiam ex illa profluxisse saec. IX., quum intelligeretur, eo tempore, quo Hippolytus vixerit, alios Romae pontifices exstitisse [2]). Atque quomodo fieri potuit, ut Hieronymus nesciret sedem ejus episcopalem, si illa vere ibi fuisset? Deinde quum nullus nominetur illius loci episcopus ante concilium Arelatense nisi Hippolytus noster, dubium videtur, num saec. III. ibi condita fuerit ecclesia [3]). — Omnino putare non possumus, Nostrum vixisse in Italia; nam

1) confecit multos in sacra scripta commentarios, quibus studere nunquam, minime vero Hippolyti tempore, mos fuit Romanorum.

2) Romani, qui illo tempore scripserunt, philosophiam neglexerunt, Romanorum ingenio a philosophia omnino abhorrente. Noster autem in veterum philosophorum scripta ipsa incubuisse videtur [4]), ipse dialectica arte exponere studuit notiones sacrae scripturae.

Nostrum in Italia episcopatu aliquo functum esse, eo probari videtur, quod in computando festo paschali Latinorum secutus est methodum [5]). Qua re nihilominus sententia nostra refutatur, nam eandem methodum Hippolyti tempore usurpasse nonnullos, qui in Orientalibus terris vixerunt, constat [6]).

Quibus disputatis apparet, Centuriatores Magdeburgenses, qui Nostri sedem episcopalem in Ostiis ad Romam collocent [7]), omnino errore captos esse.

§. 11. *Non fuit Hippolytus episcopus Adanae.*

Stephanus Moynius [1]) putat, Hippolytum fuisse episcopum Portus Romani in Arabia sive Adanae. Est sane in Arabia felice urbs Adana, cui Philostorgius addit cognomen τὸ ῥωμαικὸν ἐμπόριον, quo iis, qui ex Romanis veniunt, appelli mos est [2]). Id quod repetit Nicephorus. Jam vero Stephanum fugit, quod Hippolytus primo Romae episcopus fuisse narratur, quae traditio postea in illam commutata est, ex qua Portus Romani ad Romam fuit episcopus. Nam si vice versa traditio exculta

---

Magistris, qui in eo acquievit, quod refellere studuit causas repugnantes; non autem affert, quibus suam opinionem stabiliat, nisi quod in illa regione inventa sit Nostri statua. (l. l. in praefatione № VII. p. XXVI.) cf. Angelum Majum (l. l. Tom. I. in praefatione p. XXVI.).

2) Cf. Angelum Majum l. l.

3) Ughelli Italia sacra. Venet. 1717. p. 110.

4) Cf. §. 49.

5) Euseb. IV, 26. V, 23. Apollinaris in der Vorrede zum Chronicon paschale edit du Fresne p. VI sqq. Cf. Rettberg der Paschastreit der alten Kirche in Illgen's Zeitschrift für historische Theologie II. Band. 2tes Stück p. 116 sq. Neander über die ältesten Paschastreitigkeiten der christlichen Kirche im kirchenhistorischen Archiv von Stäudlin etc. 1823. Heft 2. p. 97 sqq. Cf. §. 16. et 58.

6) Quum ipse invenire non potuerim in Hipp. scriptis, quae defendant, eum in Occidente vixisse, putem, illum in libro de evangelio et apocalypsi Joannis (cf. §. 38.) non eos, qui Romae cum Montanistis disputaverint, sed Alogos, quos dicunt, refutasse.

7) III, 10.

1) Varia sacra in prolegom. ad candidum lectorem.

2) Hist. eccles. III, 4.

esset, concludere Stephano licuisset, Hippolytum episcopum Portus Romani, qui ad Romam fuit, putatum esse inde, quod posteris urbs Adana in Arabia sita haud cognita fuisset. Deinde eodem Philostorgii loco, quem modo laudavimus, traditur, religionem Christianam in illa regione, in qua fuit urbs Adana, per legatos a Constantio missos propagatam esse [3]). Etiamsi dubius videtur auctor Philostorgius, non video tamen, cur, quum nullus vir doctus negare conatus sit [4]), per illos legatos a Constantio missos Adanae aedificatam esse ecclesiam, non sequar Philostorgium, qui plane vanam Stephani conjecturam demonstret.

§. 12. *Hippolytus episcopatu functus esse videtur in Arabia.*

Omnibus igitur refutatis sententiis, quae de Nostri sede episcopali prolatae sunt, hoc tantum tenemus, Hippolytum in Orientalibus terris episcopatu functum esse (cf. §. 10.). Idem inde elucet, quod Alexander episcopus Hierosolymitanus Nostri collegit opera [1]), et quod Hieronymus eum conjungit cum Beryllo et Geminiano Presbytero Antiocheno [2]). Sin autem Hippolytus adolescens versatus fuerit in Occidentalibus regionibus, quaerenda est causa, cur Hippolytus in Orientem redierit. Quae videtur haec esse. Hippolytus, quum Irenaei exemplo incitatus particeps evasisset certaminis, quod gerebatur de festo Paschali, petiit Orientem, ut accuratiorem sibi pararet cognitionem artis astronomicae. Quae eo tempore imprimis in Aegypto exculta erat [3]). Vel fortasse circa annum 196 profectus est in Orientem, ut methodum, ex qua Latini computare solerent festum paschale, defenderet Ephesi, in quam urbem Polycrates illo anno convocaverat synodum [4]).

Non autem accuratius probari potest, in qua terra, nedum in qua urbe episcopatu functus fuerit. Conjicere tamen nonnulla, quae aliquam verisimilitudinis speciem prae se ferunt, audeo. Gelasius enim episcopus Romanus Hippolytum nominat episcopum Arabiae metropolis, neque habemus, cur dubitemus, quin in illa terra fuerit episcopus. Constat, saeculo secundo et tertio christianam religionem in Arabia multum progressam esse. Pantaenus [5]) enim celeberrimus Alexandrinus atque postea Origenes [6]) in eam profecti sunt. Ita fieri etiam potuit, ut Hippolytus in Oriente versatus Arabiam peteret. Nostrum diu versatum esse in Arabia, hoc omnino refutari non potest, quin imo multa probare videntur, eum ibi versatum esse. Nam

---

3) Ibidem ἑτέραν (sc. ἐκκλησίαν καθιδρύσατο) ἐν ᾧ τὸ Ῥωμαϊκὸν ἐμπόριον ἐτύγχανεν, ἔξω πρὸς τὸν ὠκεανὸν τετραμμένον· καλοῦσι δὲ τὸ χωρίον Ἀδάνην, ἔνθα καὶ τοῖς ἐκ Ῥωμαίων ἀφικνουμένοις ἔθος ἦν καθορμίζεσθαι.

4) Hoc tantum negant nonnulli, a Theophilo Ariano Adanae esse conditam ecclesiam, sed a Frumentio orthodoxo eam aedificatam volunt. Cf. Philostorgii hist. eccles. ed. Reading p. 488 Not. a. Jacob. Gothofredum in disputationibus ad Philost. hist. eccles. p. 111. Baronii annales ad annum 356 № 23. Pagi ad annum 356 n. 12, 20. Hamberger zuverlässige Nachrichten von den vorhnehmsten Schriftstellern u. s. w. Thl. 2. p. 509. Gieseler l. l. p. 616.

1) Euseb. VI, 20. 2) In chronico.

3) Cf. Rettberg l. l. p. 118. 4) Euseb. V, 24.

5) Id. V, 10. Cf. Ullmann l. l. p. 7. 6) Id. VI, 19.

1) scripsit contra eos, qui simul cum Judaeis pascha celebrare voluerunt [7]). Videntur autem in Arabia multi fuisse Christiani, qui a Judaeis originem duxerunt [8]).

2) Probare studuit praecipue, fuisse in Christo duas naturas, de quo dogmate multum disputabatur in Arabia [9]).

Ulterius progredientes suspicamur, Nostrum fuisse episcopum Bostrae. Bostram enim Arabiae metropolin fuisse, tum viri docti contendunt [10]), quum nummis quibusdam confirmatur. Deinde nummis quibusdam testibus constat, Bostram, antea Castellum, non ante Severum Alexandrum in urbem esse deductam [11]). Quod si verum est, videtur non verisimile, ibi ante Juliam Mammaeam aedificatam esse ecclesiam [12]). Maximino autem imperatore Bostrae fuisse episcopatum constat [13]). Itaque incidi in sententiam, Hippolytum, virum celeberrimum, insignem doctrinae christianae propugnatorem, Mammaeae familiarem, ibi condidisse ecclesiam. Hieronymus nobis refert [14]), Beryllum lapsum esse in haeresin, quum aliquanto tempore ecclesias gloriose rexisset. Tempus igitur sane quadrat, si conjicimus, Beryllum fuisse successorem Hippolyti, quem interfectum putamus Maximino imperatore.

Quum nimis quidem audax videar Eusebium ipsum corrigens, qui non Bostrae, sed alius urbis episcopum Nostrum nominat, sententiam meam infirmam non pro certo haberi volo, sed in judicium virorum doctorum hanc mitto conjecturam. Verba vero Eusebii non urgeam, sed eum illis hoc tantum indicare voluisse puto, se nescire, in quanam urbe Hippolytus episcopatu functus sit.

---

7) Cf. §. 14. 8) Cf. Ullmann l. l. p. 5.

9) Cf. eundem l. l. p. 8.

10) Cf. Stephanum le moine l. l. in prolegomenis ad candidum lectorem. C. Ritter die Erdkunde. Berlin 1818. Theil 2. p. 358. Tillemont l. l. Tom. 3. p. 672. Ullmann l. l. p. 9. Not. 2.

11) Cf. Rasche lexicon universae rei numariae veterum. Lips. 1785. Tom. 1. p. 1581—1584. Juxta antiquarios, ita ibi ait, primum in Alexandri Severi nummis obvia Colonia Bostra, eoque ipso illius Caesaris nomine iis aliisque dein dicta Alexandriana. Exstant antiquiores illius urbis nummi, ut in Commodo, sed sine addito coloniae cognomento, ut ex nominibus »*N. TPA BOΣTPA*« a Trajano quidem instauratam hanc Bostram liceat inde statuere, haud tamen deductam ab eo in id oppidum coloniam. Eadem quoque Bostra muris primum munita a Severo, Arabiae petraeae metropolis exstitit, unde etiam in nummo Philipporum Bostra Col. Metropolis inscripta cernitur. Eckhel l. l. Pars 1. Vol. III. p. 500 sqq. Jean Tristan commentaires historiques contenans l'histoire générale des empereurs etc. de l'empire romain. Tom. 2. p. 426 sqq. Vgl. G. B. Winer biblisches Realwörterbuch. 2te Aufl. 1. Bd. p. 224.

12) Ullmann l. c. (p. 6.) putat, Paulum apostolum ipsum Bostrae condidisse ecclesiam, confitetur autem ipse, se hac de re non nisi conjecturas proferre. Cf. Lücke de ecclesia christianorum apostolica p. 140.

13) Euseb. VI, 20.

14) Hieronymus l. l. cap. 60. Ibidem tradidit, Beryllum claruisse Alexandro quoque imperatore; facile autem errore decipi potuit, si Hipp. martyrium subivit primo Maximini imperatoris anno, qui fuit ultimus Alexandri imperatoris.

Pars II.

De Hippolyti scriptis.

Prooemium.

§. 13. *De catalogo librorum in Hippolyti statua sculpto.*

Quum Hippolyti librorum catalogus, qui in statua sexto demum saeculo posita designatus est, quandam etiamsi non magnam habeat auctoritatem, necesse est, ut priusquam de Nostri scriptis disquirere incipiamus, mancam contextum illius catalogi restituamus [1]).

In quatuor prioribus lineis litteras nonnullas detritas esse satis apparet. Ita in prima linea legitur *ΙΟΥΣ*. Scaliger [2]) vult, has litteras esse reliquias verbi *ψαλμοὺς*, quod conjungendum sit cum litteris in sequenti linea lectis *ΝΙΑΣ*; *ΝΙΑΣ* litteris autem commutatis in *ΝΟΙΑΣ* putat ultimas has esse syllabas verbi *μετανοίας*, ita ut intelligendi sint *ψαλμοὶ μετανοίας* (psalmi poenitentiales). Quam conjecturam, quae gravissimis causis refutata est a Stephano Moynio [3]), omnino falsam esse, inde quoque elucet, quod et in sequenti tertia linea adnotatus est Nostri in psalmos commentarius, et *μετανοίας* verbum, quum novem tantum litteras contineat, non totam explevisse lineam videtur. In quaque enim linea litteris impleta sedecim fere inveniuntur litterae [4]). Stephanus ipse conjecit, legendum esse *εἰς πρωτοπλάστους καὶ περὶ κοσμογονίας* vel *ζωογονίας* [5]). Quae conjectura non omni verisimilitudine caret; nam constat, Nostrum scripsisse in Hexaëmeron et in ea, quae post Hexaëmeron; omittam autem respectu habito ad litterarum numerum *καὶ* particulam. Mirum tamen me habet, quod non vice versa scriptum sit *περὶ κόσμογονίας, εἰς πρωτοπλάστους*. Difficile est, quum tot exstent Hippolyti libri, et sculptor libris tribueret titulos obscuros atque novos (e. c. *ἐγγαστρίμυθον*), satis perspicue demonstrare, qui libri intelligendi sint.

---

1) Catologum exscripserunt Gruterus (thesaurus inscriptionum p. 140), Fabricius (l. l. Vol. I. in Tab. II. a. post p. 36), Cave (l. l. Vol. I. p. 104).
2) In canonem pasch. Hipp. (apud Fabr. Vol. I. p. 79).
3) L. l. Tom. II. p. 969 — 989.
4) Conf. statuam designatam apud Fabric. Tab. II. a.
5) L. l. Tom. 2. p. 989 — 992.

Itaque rem in suspenso relinquo; hoc unum tantum contendens, illis litteris significatos esse commentarios in sacra scripta; nam apparet, illis absolutis dogmaticos apologeticosque libros demum laudari.

ΛΛΜΟΥΣ) quin hae litterae sint reliquiae vocis *ψαλμούς*, non dubito, in quos Nostrum scripsisse testatur Hieronymus. Itaque respiciens ad lineae spatium litteris implendum, legendum puto *τὰ εἰς τοὺς ψαλμούς*.

ΓΑΣΤΡΙΜΥΘΟΝ) Scaliger legendum esse *ἐγγαστρίμυθον* recte vidit [6]. Quum Hieronymus in catalogo Nostri librorum laudet librum de Saulo et Pythonissa, Stephanus [7]) justo jure contendit, libellum hoc titulo inscriptum spectasse ad Pythonissam illam, quae Sauli regis jussu Samuelis animam ex Orco evocasse narratur 1 Sam. cap. 28. [8]).

Πρὸς Σεβηρεῖναν) Stephan. conjecit »*ΣΕΒΗΡΑΝ ΑΥ*«, atque putat Severae Philippi Arabis uxori hanc epistolam datam esse. Tenendum autem esse *Σεβηρεῖναν* demonstrare infra (§. 52.) studebimus.

Ὠιδαὶ εἰς πάσας γραφάς). Mirum videtur, quod Noster dicitur de tota sacra scriptura vel de quoque ejus libro homilias habuisse. Itaque conjecit Stephanus [9]) »*ᾠδαὶ εἰς πάσας αἱρέσεις*.« Quod vituperat Cave [10]), putans ista ratione quadrata rotundis permutari facillime posse. Negari tamen non potest, similitudinem esse inter litteras utriusque verbi tantam, ut qui primus edidit catalogum, litteris in statua detritis, errore deceptus illa verba facile commutare posset. Pro *ᾠδὰς εἰς* legere vult idem Stephanus *πρὸς*, ita ut totus sonet titulus *πρὸς πάσας τὰς αἱρέσεις*. Quod quidem sagacissimum; ipsi tamen rem in suspenso relinquimus, quum nobis non liceat statuam ipsam et catalogum in ea designatum inspicere. Cf. §. 47.

Ut plane mancum atque corruptum esse catalogum in statua designatum intelligamus, eum conferre placet cum catalogis Nostri librorum, quem invenimus apud Eusebium et Hieronymum.

---

6) Apud Fabric. Vol. I. p. 81. 7) L. l. p. 992 sqq.
8) Cf. §. 23. 9) L. l. p. 1088.
10) Scriptor. ecclesiast. hist. litt. Tom. 1. p. 106.

ΙΟΥΣ ΝΙΑΣ	Catalog. apud Euseb.	Apud Hieronym.
	In Hexaëmeron	In Hexaëmeron.
	In ea quae post Hexaëmeron (contra Marcionem) [18]	(Contra Marcionem)
In Psalmos		De Psalmis
De Pythonissa		De Saulo et Pythonissa
De Evangelio secundum Joannem et Apocalypsi [11]		De apocalypsi
De Charismatibus [12]		
Apostolica traditio		
Chronicon [13]	De Pascha (lib. I.)	Temporum canones
Contra Graecos et in Platonem vel etiam de omni [14]		
Exhortatorius ad Severinam		
Demonstratio temporum Paschae quemadmodum in tabula [15]	De Pascha (lib. II.) canon paschalis	De Pascha. canon paschalis
Odae in omnes scripturas (adversus omnes haereses)	Adversus omnes haereses	Adversus omnes haereses
De deo et carnis resurrectione [16]		De resurrectione
De Bono et unde Malum [17]		
	In canticum cant.	In cantic. cantic.
	In partem quandam Ezechielis prophetae [19]	
		In Exodum
		In Genesin
		In Zachariam
		In Esaiam
		De Daniele
		De Proverbiis
		De Ecclesiaste
		De Antichristo.

---

11) Cf. §. 38.
12) Neander (l. l. p. 1150) vir doctissimus dubitat, num de charismatibus et de apostolica traditione in eodem libro disputaverit Hippol. In duobus vero libris ea de re illum disseruisse puto, quum non legatur *ἀποστολικὴ παράδοσις περὶ χαρισμάτων*, sed vice versa. De quibus libris latius atque fusius disputat Stephanus (l. l. p. 1033—1077); aliorum virorum doctorum hac de re sententiae leguntur apud Fabricium Tom. I. p. 83. Equidem opinor, intelligendos esse libros a Fabricio laudatos Tom. I. p. 245 sqq., quos non genuinos infra (§. 53.) probabimus. Cf. Fabricii bibl. Graec. ed. Harless. Vol. VII. p. 192.
13) Tituli h. l. collati eundem librum designare videntur. Cf. §. 14.
14) Cf. §. 49. 15) Cf. §. 14.

Materiam [20]), quam tractaturi sumus in hac secunda parte, dividere nobis placet in tria capita, ita ut in primo de chronologicis, in secundo de exegeticis, in tertio de dogmaticis apologeticisque scriptis disseramus. Incipimus autem ab chronologicis, quia chronologiae studio commotus videtur Hippolytus ad commentarios in sacra scripta conficiendos. Cf. §. 59.

Caput I.

De libris Hippolyti chronologicis.

---

§. 14. *De Hippolyti libris chronologicis in universum disputatur.*

Eusebius refert, Nostrum confecisse librum de Pascha, in quo temporum rationem exposuerit et canonem sedecim annorum exhibuerit. Hieronymus testatur, Hippolytum scripsisse rationem Paschae temporumque canones et reperisse sedecim annorum circulum. In eodem igitur libro Hippolytus praemisisse videtur canoni suo aliam commentationem, in qua descripserit et in cyclos quosdam diviserit spatium temporis inde ab Adamo usque ad primum Severi Alexandri imperatoris annum. Idem putandus videtur liber, qui in statua inscriptus est chronicon [1]). Qui liber hodie non exstat [2]). Euseb. et Hieron. praeterea libri alius ab Hippolyto de Pascha compositi meminerunt. In quo libro videtur explicuisse rationes, ex quibus suum constituerit canonem, id quod bene quadrat ad titulum illum, qui in catalogo librorum in monumento marmoreo designato legitur »ἀπόδειξις χρόνων τοῦ πάσχα κατὰ ἐν τῷ πίνακι«. Qui quoque libellus aetatem non tulit, fragmentum tamen ex eo servatum est in chronico Alexandrino [3]). In quo loco probat, Christum illo anno, quo mortem passus sit, non manducasse pascha.

De homilia autem Hippolyti in Dominicam paschalem atque de fragmento ex illa servato, infra (§. 47.) disseremus.

---

16) Stephan. (l. l.) vult, eundem librum intelligendum esse, quem contra Marcionem Hipp. scripsisse dicitur. Quum autem illum singularem contra haeresin Marcionis librum confecisse negemus (cf. §. 48.), incidimus in sententiam, hunc titulum redire ad illum librum, quem Hieron. inscripsit »de resurrectione.« cf. §. 61.

17) Hic liber hodie non exstat. Probanda mihi videtur sententia Harlessii, qui putat, hunc librum fuisse partem libri adversus omnes haereses. Cf. Fabric. bibl. Gr. l. l. p. 195.

18) Cur in unum conjungamus apud Eusebium titulos in Hexaëmeron et contra Marcionem, infra (§. 48.) demonstrabimus. 19) Cf. §. 30.

20) Hippolyti opera collegit atque edidit novissimus J. A. Fabricius. Vol. I. Hamburgi 1716. Vol. II. 1718.

1) Cf. Ceillier hist. des auteurs ecclésiastiques Tom. II. p. 354.

2) Cf. §. 15. 3) Apud Fabric. Vol. I. p. 43.

§. 15. *De chronico, quod Hippolyto attribuitur.*

Chronicon Hippolytum scripsisse constat (cf. §. 13. et 14.). Fabricius (vol. I. p. 49 sqq.) tradidit chronicon aliquod, quod Du Cange ab Hippolyto compositum esse putavit, quia nonnulla, quae in illo leguntur, congruerent cum ea ratione, qua constitutum esset tempus in laterculo marmoreo [1]). Qui nimis audax videtur, quum codices ipsi, quibus libellus modo laudatus servatus est, ne Hippolyti quidem nomen prae se ferant. Probavit autem Bianchini [2]), non ad eundem auctorem referri posse canonem paschalem ab Hippolyto vere compositum atque hunc librum [3]). Deinde insunt quidem huic libro nonnulla, quae opposita sunt rationi, ex qua constituit tempus Hippolytus in commentario ad Danielem, sed hac re nihil probatur, quum constet, Hippolytum secutum esse duplicem temporis constituendi methodum, tum vulgarem, qua usi sunt qui conscripserunt historicos veteris testamenti libros, tum eam, quam habuit Daniel propheta [4]). Sin autem Hippolytus habuit duplicem temporis constituendi methodum, sane exspectandum est, eum in chronico ad utramque respexisse. In fragmento autem, quod historicum prooemium commentarii in Danielis librum ab Hippolyto confecti putavimus [5]), leguntur quae non congruunt cum iis, quae in chronico inveniuntur. In quo fragmento Noster tradidit, Josiae regis filios fuisse hos: Joachan, Eljakimum, Joannan, Sedeciam (= Jechonian), Sedum. Ejusdem filii in chronico (sect. 14.) hi nominantur: Jonaas, Jojakim, Eljakim (= Joachim), Sedecias (= Jechonias), Salum. Noster l. l. refert, Joacimo, Eljacimi sive Joachimi filio, regnante Judaeos Babylonem deductos esse a Nebucadnezero [6]), id quod factum esse Jechonia rege, contenditur in hoc chronico (sect. 16.). Quibus disputatis hunc librum non ab Hippolyto compositum putamus.

§. 16. *De canone paschali in statua designato* [1]).

Hippolytum Dominicas paschales cyclo annorum centum et duodecim descripsisse, ita ut existerent septem periodi, quarum cuique tribuendi essent sedecim anni, testantur Eusebius, Hieronymus, Isidorus, Syncellus (cf. §. 13.). Scriptum tamen illud perditum est. Itaque ejus non habuimus cognitionem, priusquam statua illa, de qua jam supra diximus (cf. §. 2.), effossa est. Quem cyclum paucis modo explicare conamur [2]).
In sinistro statuae latere indicatur, quo die quoque cycli anno ce-

---

1) Du Cange in appendice Chron. pasch. cf. Ceillier l. l. p. 355.
2) De canone pasch. Hipp. apud Fabric. Vol. I. p. 115.
3) Cf. apud Fabric. Vol. I. p. 114 sqq. Cf. Ceillier l. l. p. 355.
4) Cf. §. 17. 5) Cf. §. 36. 6) Ibidem.
1) Quae in statua annotantur Graece reddidit Gruterus (thes. inscription. p. 140).
2) In quo arte astronomica ipse non imbutus secutus sum Idelerum virum clarissimum. Cf. l. l. Tom. II. p. 213. Novissimus, qui hunc canonem illustravit, Paucker (die Oster-Rechnung. Leipz. 1837. S. 33 u. 34) paucis complectitur, quae latius exponuntur ab Idelero, nihil proferens novi.

lebrandum sit festum paschale; in dextro autem constituitur terminus paschalis ac feria, in quam incidat terminus paschalis. Dies in dextro statuae latere notati indicant plenilunium paschalem sive terminum, ante quem quoque anno pascha celebrare non licet, litterae autem feriam, qua ille terminus accidit, qua in re bene observandum est, apud Nostrum litteram A significare Dominicam, non autem primum cujusvis anni diem, qui fuit vulgaris mos [3]). — Em. litterae significant »μὴν ἐμβόλιμος«. Graeci enim, quum mensibus tribuerent alteri 30, alteri 29 dies, ut initium anni lunaris conveniret initio anni solaris, inter certum annorum numerum unum mensem intercalabant, cui tribuebant. 30 dies. Illa methodus, qua utitur Hippolytus, differt ab ea, quae auctorem habet Methonem, qui intra 19 annorum spatium intercalavit septem menses. Hippolytus vero ex veterum Graecorum methodo inter octo annos intercalavit tres menses. Atque recte egit; nam 16 anni Juliani continent 5844 dies [4]), 19 anni Juliani autem superant 19 annos Methonis 2½ diebus. — SS significant diem bissextum, quo indicatur, illo anno intercalandum esse diem unum, quia annus Julianus 365 atque quartam unius diei partem continuerit. Cur duo dies ad annum tertium et undecimum locum habeant, vix intelligi potest; constat tamen, Hippolytum terminum paschalem priori die indicare voluisse, quum ex eo, quod in sinistro statuae latere Dominicam paschalem ponat in die 26 mensis Martis, appareat, terminum paschalem illo anno ex Nostri canone fuisse die 21 mensis Martis.

Cyclus ipse ita institutus est, ut sedecim Julianis annis praeterlapsis luna XIV rediret ad eundem mensis diem, sive ut 5844 dies in 198 menses, quos dicunt synodicos, caderent. Qui quum contineant 5847 dies, necesse est, praeterlapsis 16 Julianis annis plenilunium tribus diebus serius cadere, quam hoc canone indicetur [5]). Qua re factum est, ut ex canone Hippolyti festum paschale in quinto sedecim annorum cyclo celebrandum sit auctore ipso invito ad tempus intermenstruum. Quum autem praeterlapsis sedecim annis luna XIV non rediret ad eandem feriam, Hippolytus continuavit cyclum per annos 112, quibus praeteritis festum paschale ad eundem diem atque ad eandem feriam rediret [6]). — Comparata tabula ipsa videbimus, ex Hippolyti canone terminos esse paschales diem 21 mensis Martis et diem 13 mensis Aprilis, in quo animadvertendum est, festum paschale non celebrandum esse ante lunam XVI. Si igitur cadit luna XIV. in diem Saturni, non licet sequenti die Solis pascha celebrare, sed differri illud festum hebdomade necesse est [7]), quem morem fuisse Latinis proprium docet Prosper [8]).

3) Cf. Ideler l. l. p. 185.
4) Idem numerus exisüt, si ex Hippol. methodo numerum dierum anni vulgaris 354 multiplicaveris numero 16, atque addideris numerum dierum, quem continent menses sex intra sedecim annos intercalati. cf. Ideler l. l. p. 219.
5) Ibidem.
6) Cf. Ideler l. l. p. 222, ubi exponit suffecisse, si 56 annorum cyclum composuisset Noster.
7) Cf. terminos pasch. atque Dominicas pasch., qui in statua annotati sunt.
8) In chronico p. 53. cf. Ideler l. l. p. 266.

Ut perspicue exponamus, quomodo utendum sit cyclo Hippolyti, quum nobis proposuerimus exemplum aliquod proferre, antea nobis disserendum est de anno, a quo inceperit cyclus ille. Hippolytus ipse testatur, cyclum suum incipere a primo Alexandri imperatoris anno [9]). Constat autem, illum assecutum esse imperium anno 222 p. Chr. circa medium mensem Martis [10]). Quod quum verum sit, cycli annum tertium, septimum, undecimum, quintum decimum recte constituit Noster annos intercalares. Computanti igitur festum paschale ex Hippolyti canone, hae tibi sunt observandae regulae:

1) Inquirens, quotus illius canonis annus sit ille annus, cujus festum computare studes, a numero annorum dato detrahe numerum 221.

2) Numerum, qui restat detracto numero 221 a dato numero, dividas numero sedecim. Numerus inde apparens, qui indicat, quoties ille numerus restans contineat numerum 16 (i. e. der Quotient), docet, ex qua serie cycli sumenda tibi sit feria. Eo autem numero, qui tum restat, significatur, quotus cycli sedecim annorum ille sit annus. E. c. si invenire studes, quo die festum paschale anno 444 celebrandum sit ex Hippolyti canone, institue hanc computationem:

```
   444
 — 221
16|223|13
  |16 |
    63
    48
    15
```

Transiens a sinistra in dextram inscripti cycli, quum numeraveris series tredecim, invenies in sequenti serie in anno quinto decimo feriam, quae tibi praebetur D littera. Cujus anni terminus paschalis est Nonis mensis Aprilis, qui dies est feria quarta. Ut igitur invenias Dominicam sequentem, progrediendum tibi est ad feriam primam, qua re tibi offertur dies Dominicae paschalis anni 444 dies 9 mensis Aprilis.

Primus denique, qui cyclo aliquo Dominicam paschalem computare studuit, fuisse videtur Hippolytus [11]).

---

9) Cf. inscriptionem canonis paschalis apud Fabr. Vol. I. p. 38.

10) Cf. Ideler l. l. p. 216 et 17. Aliter Joan. Vignolius, qui duas confecit commentationes »de anno primo imperii Severi Alexandri Augusti, quem praefert cathedra marmorea S. Hipp. episcopi.« Cf. Fabric. Tom. I. p. 141 sq. Putat enim nixus in nummis quibusdam, Alexandrum non accessisse ad imperium ante mensem Sextilem anni 222. Novissimus autem, qui nummos veterum doctissime illustravit, Ekhel, sententiam a nobis propositam probat. Cf. doctrinam nummor. veter. pars II. Vol. VII. p. 252.

11) Cyrillus (in cyclo paschali) contendit, cyclum 19 annorum in usu fuisse ante Hippolytum, id quod in dubium vocat Ideler. l. l. p. 245.

§. 17. *Quid velle videantur, quae leguntur inter canonem paschalem.*

Inter canonem ipsum Hippolyti adjecta invenimus verba haec: *γένεσις Χσ, Ἐζέχιας, Ἰώσειας, ἔξοδος κατὰ Δανιὴλ, Ἔσδρα κατὰ Δανιὴλ καὶ ἐν ἐρήμῳ, Ἐζέχιας κατὰ Δανιὴλ καὶ Ἰώσειας, πάθος Χσ, Ἰησοῦς, Ἰησοῦς κα Δα, ἔξοδος, ἐν ἐρήμῳ, Ἔσδρα.* Quum additamenta illa tam brevia sint, difficillimum est probare, quid significent. Sin autem respicimus ad verba, quae ad cycli secundum et tricesimum secundum annum apposita sunt, *γένεσις Χριστοῦ* et *πάθος Χριστοῦ*, videtur illis additamentis Hippolytus voluisse constituere, quo ipsius cycli anno Christus natus atque passus sit. Eodem modo videntur ceteris appositis verbis significari res apud Judaicum populum gestae, quas imprimis memoratu dignas putavit Hippolytus. Refertur autem nobis in vetere foedere, pascha festum non multum ante Judaeos ex Aegypto egressos institutum esse (cf. Exod. 12.), iterumque celebratum esse secundo anno Judaeorum in deserto versatorum (Num. 9.), tum Josua duce (Jos. 5.), deinde Ezechia atque Josia regibus (2 Chron. 30. 36.), denique Esra templum Hierosolymitanum restituente (Esra 6.). In canone autem ipso distat verbum »*ἔξοδος*« a verbis »*ἐν ἐρήμῳ*« duobus annis, quod temporis spatium intermissum esse inter pascha primo constitutum atque pascha in deserto celebratum, historia probatur (cf. Num. 7.). Eodem modo praeteriti sunt ab instituto paschali festo usque ad pascha Josua duce celebratum anni 41, quo numero remotum est verbum »*ἔξοδος*« a verbo »*Ἰησοῦς*«[1]). Itaque opinatus sum, Hippolytum verbis inter canonem lectis indicare voluisse, quo cycli sui anno celebrata essent a Judaeis festa paschalia in V. T. memorata. Quae sententia eo quoque confirmatur, quod ipse in inscriptione canonis sui dicit, praeteritis annis celebratum esse pascha, quomodo indicatum sit in canone ipso. Sin vero eadem verba bis leguntur, tum nullo alio verbo adjecto, tum additamento addito »*κατὰ Δανιὴλ*«, videtur duplicem temporis constituendi methodum Hippolytus secutus esse. Si addidit »*κατὰ Δανιὴλ*«, indicare voluit, quibus cycli annis ex temporis constituendi ratione, quam habuisset Daniel propheta, paschae in V. T. laudatae celebratae essent a Judaeis, omisso illo additamento secutus videtur nuntium in historicis V. T. libris traditum[2]).

---

1) Cf. Ideler l. l. p. 225.

2) Rejicienda est sententia Stephani (l. l. Tom. II. p. 947 sqq.), verbis canoni interpositis significari locos Veter. Testam., qui die Dominicae paschalis legendi fuerint in coetu Christianorum. Verba autem illa retulit ad locos V. T. supra laudatos. Intelligi enim nequit, cur non pro cujusque anni festo paschali indicaverit certum sacrae scripturae locum legendum. Multo minus consentire possumus cum Simone de Magistris (l. l. praef. p. XXVI), qui inde, quod in tabula marmorea leguntur verba »*κατὰ Δανιήλ*«, Hipp. commentarium in Danielem publice in ecclesiis perlectum esse, concludit.

Caput II.

De libris Hippolyti exegeticis.

---

§. 18. *In genesin, a) in Hexaëmeron.*

Hippolytum scripsisse commentarium in Hexaëmeron, testatur Euseb., Hieron. [1]), Syncellus, Nicephorus, alii.

Cujus libri fragmentum invenimus in maxima Patrum collectione, quae exstat MS. in Vindobonensi biblioth. (cf. Fabric. l. l. Vol. II. p. 22.). Quod fragmentum continet genes. cap. 1., inde a versu quinto usque ad octavum explicatum.

Ad versum 5. Auctorem Hexaëmeri non dixisse »νυχθήμερον«, sed »ἡμέρα μία«, ut significaret lucem oppositam tenebris. »Ἡμέρα μία« significare u n u m diem; ea re, quod dictum esset in sacra scriptura »ἡμέρα μία« indicatum esse, diem in orbem redire; sin vero dictum esset »ἡμέρα πρώτη«, narrandum fuisset, creatum esse etiam secundum diem.

Ad vers. 6. Primo die deus creavit »ἐκ μὴ ὄντων«, ceteris autem diebus immutavit (μετέβαλεν), quae primo die fecerat.

Ad vers. 7. Aquam, quae initio totam terram invisibilem reddidisset, divisisse deum in tres partes; primam partem deum solidasse, ut esset firmamentum inter duas reliquas aquarum partes, quarum alteram in sublime extulisset, alteram in terra reliquisset in hominum commodum. Observandum est, Nostrum habere in fine hujus versus verba »καὶ ἐγένετο οὕτως«, quae Hebraicus quidem textus habet, sed non LXX.

Quum fragmento illi non insint, quae non quadrent ad veterum Patrum sententias, etiamsi in ipsis verbis non invenimus, quae propria Nostri ingenio videntur, non habemus, cur non Hippolytum ea, quae ei codice laudato attribuantur, conscripsisse putemus. Gravior autem codicis auctoritas fit, quia cetera, quae per eum ex Hippolyti operibus traduntur, genuina internis causis commoti probare possumus.

§. 19. *Pergitur, b) in ea, quae post Hexaëmeron.*

Eusebius (l. c.) adjungit »εἰς τὰ μετὰ τὴν ἑξαήμερον«, eodem modo ceteri; Hieron. tamen omisit hunc librum, meminit autem commentarii in Genesin et Exodum [1]). Quaerendum nobis est, quasnam Geneseos

---

1) Praecipue haud negligendus est locus in Hieron. epist. 84. ad Pammachium et Oceanum: »Nuper sanctus Ambrosius sic Hexaëmeron Origenis compilavit, ut magis Hipp. sententias Basiliique sequeretur.«

1) J. Scaliger (cf. Fabr. Vol. I. p. 89 *) vituperat Hieron., quod Eusebii verba »εἰς τὰ μετὰ τὴν ἑξαήμερον« intellexerit de toto Geneseos libro. Sed unde haec? Hieron., si legit commentarium in Genesin (atque vere legit cf. §. 20.), licuit in unum titulum conjungere duas ejusdem libri partes. Stephanus (l. l. p. 989) putat, Hieron. Eusebii verba »εἰς τὰ μετὰ τὴν ἑξαήμερον« retulisse

libri partes continuerit commentarius ille, quem legit Eusebius. Consentio cum Scaligero, illum non referendum esse ad totum Geneseos vel Exodi librum, sed significare hunc titulum »in ea quae Hexaëmero proxima fuerunt«. Sed vituperandi videntur idem vir doctus et Valesius [2]), qui arbitrantur, hunc titulum referendum esse solummodo ad historiam creati hominis secundo Geneseos capite narratam, nam cum illis arcte cohaerent, quae traduntur de τῶν πρωτοπλάστων lapsu. Quum vero constet, Nostrum exposuisse caput tertium, non video, quomodo, quae de capite secundo et quae de tertio admonuit, secerni omnino potuerint, quum integrae sint partes ejusdem historiae.

Ex hoc libello exstant tria fragmenta. Prius laudatur ab Angelo Majo [3]), in quo provocans ad sacram scripturam Hippolytus rejecit sententiam, creatos esse homines tres »πνευματικόν, ψυχικόν, χοϊκόν.« Quibus proxime annexa ea videntur, quae secundo fragmento praebentur [4]). In hoc refutat sententiam, paradisum in coelo, non in terra esse, dicens fluvios, qui ex illo profluxerint, ab quocunque cerni posse. Tertium fragmentum legitur in codice Vindobonensi. In quo fragmento Hippolytus correxit sententiam Hebraei contextus hoc modo: protoplastos non audisse deum in paradiso deambulantem, sed per auram quandam dei praesentiam intellexisse. Adjungit, simulac peccassent homines, deum invitaturum eos ad poenitentiam extemplo apparuisse. Codicis auctoritate commoti hoc quoque fragmentum genuinum putamus. Respicienti mihi ad hujus libri materiam atque interpretandi rationem hic liber videtur esse conscriptus contra Gnosticos quosdam [5]). — Quum fragmenta duo priora tam arcte (alterum referendum est ad Genes. 2, 7, alterum ad vers. 8 sqq.) cohaereant, ut nihil sit, quod omissum videatur, utrumque locum ab eodem auctore compositum esse nobis constat. Quum porro uterque locus diversis codicibus laudatus Hippolyti nomen prae se ferat, utrumque genuinum putamus.

§. 20. *Pergitur, c) in cetera Geneseos libri capita.*

Omissis iis, quae in tria priora capita Noster scripsit, jam probandum est, eundem interpretatum esse ceteram Geneseos libri partem.

Id quod testatur Hieron. Idem (in epist. 125. ad Damasum) tradidit partem hujus commentarii spectantem ad Geneseos cap. 27. [1]). In

---

ad Genesin et Exodum, sententia plane vana, quam refutat H. Valesius (cf. Fabr. Vol. I. p. 89 *).

2) Cf. Fabr. l. l. p. 89 *.

3) L. l. Tom. VII. p. 84.

4) Cf. Fabr. Vol. I. in praef. p. VII. Ille locus petitus est ex Joannis Damasceni oper. Tom. II. edit. Lequiniana p. 787. Eundem locum obscurius laudat Angelus Majus l. l. »in parallelis rupefucaldinis«, de quibus latius agitur apud Joan. Damasc. Tom. II. p. 274 sqq. — Alterum fragmentum concluditur his verbis »καὶ τῷ πῶς ποιεῖ (scil. ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον), διηγεῖται«, alterum incipit his verbis »ταῦτα καὶ κατ' ἀνάγκην ἔχομεν διηγήσασθαι. κ. τ. λ.«

5) Contra Marcionem hic libellus conscriptus esse videtur. cf. §. 48.

1) Apud Fabricium Vol. I. p. 266.

quo benedictio Isaaci refertur ex methodo tum temporis usitata ad Christum ac tempus Messianum. Sententias in his prolatas vere esse Hippolyti, sola Hieronymi auctoritas mihi persuadet.

Eodem supra (§.§. 19. 20.) laudato codice Vindobonensi praebetur Hippolyti commentarius in benedictionem Jaacobi cap. 49, 3—27.; omissis tamen vers. 8. et 9. [2]). In quo loco explicando utitur eodem modo Messiana, quam dicunt, interpretatione. Probat, Christi tempore accidisse, quae Jaacobus vaticinatus sit, sed omnes tribus commiscet haud memor, cuique diversa promissa fuisse. — Uti specimen rationis, qua hanc benedictionem Jaacobi interpretatus sit Hippolytus, haec proferri possunt.

Ad Genesin 49, 3—5. Explicationi versus tertii praemisit tres illius versus interpretationes, quas dederant LXX., Aquila et Symmachus, qui hoc loco valde discrepant. Nostrum autem secutum esse LXX. ex commentario ipso apparet [3]). Deum Aegyptiis affligendis magna beneficia Judaeis tribuisse; hos autem fuisse duros atque insolentes, quum Jesu Christo interficiendo deum patrem offenderent.

Vers. 4. Refert ad insidias, quas diebus ultimis populus Judaicus structurus sit lecto patris sive ejus sponsae, quae sit ecclesia.

Vers. 5. Ex Simone ortos esse legis peritos, ex Levi sacerdotes, qui conjuncti dominum interfecerint. Tauro, quem interfecerint, significari Christum. Hunc vero comparatum esse cum tauro, quia taurus sit animal purum et sacrificio aptum.

Sequuntur ejus capitis versus 11 et 12., quos explicatos invenimus etiam in libro de Antichristo cap. 10—12. Videtur uterque locus non ab eodem auctore conscriptus. Nam 1) de Antichr. cap. 10. legitur ὄνον, hoc loco πῶλον. 2) Ibi praeferre videtur Christianos, qui ex circumcisione sunt, iis, qui ex paganis orti sunt; hic vice versa [4]). 3) Ibi refert asinam ad Judaeos; hic ad fidem, ad quam convocentur Judaei et pagani sine discrimine. 4) Ibi oculi gratifici nominantur prophetae, hic Christo adscribuntur, qui respiciens in eos, qui ei credant, gaudeat. Attamen ad eundem auctorem uterque locus referendus est. Si memoria fortasse deceptus legit ὄνον pro πῶλον, non eodem modo eundem locum interpretari potuit. Quae adduntur verbis »χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ« quadrant ad allegoricam Nostri methodum interpretandi. Quae ad hunc locum annotat magis cum sententiarum connexu consentiunt; illo autem

---

2) Apud Fabric. Vol. II. p. 22 sqq.

3) Ex interpretando loco apparet, Nostrum legisse »ἰσχύς μου, καὶ ἀρχὴ τέκνων μου, σκληρὸς φέρεσθαι, σκληρὸς αὐθάδης, ἐξύβρισας, μὴ ἐκζέσῃς.« LXX.: Ῥουβὴν πρωτότοκός μου, σὺ ἰσχύς μου, καὶ ἀρχὴ τέκνων μου, σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρος αὐθάδης. Ἐξύβρισας, ὡς ὕδωρ μὴ ἐκζέσῃς. Aquila: Ῥουβ. πρωτ. μου. σὺ ἰσχύς μου καὶ κεφάλαιον λύπης μου· περισσὸς ἄρσει, καὶ περισσὸς κράτει· ἐθάμβευσας ὡς ὕδωρ, μὴ περισσεύσῃς. Symmachus: Ῥουβ. πρωτ. μου καὶ ἀρχὴ ὀδύνης μου· περισσὰ λαβεῖν καὶ ἐκ περισσοῦ ὑπερζέσας ὡς ὕδωρ, οὐκ ἔσῃ περισσότερος.

4) Fabric. Vol. II. p. 24: πῶλον λέγει καὶ τὴν ἐξ ἐθνῶν, ἄλλον τὴν ἐκ περιτομῆς κλῆσιν· ὄνον δὲ μίαν, τουτέστιν ἐκ μιᾶς πίστεως οἱ δύο πῶλοι· ὅπερ ἐστὶν αἱ δύο κλήσεις· καὶ τὸν μὲν πῶλον προσδεδέσθαι ἐν τῇ ἀμπέλῳ, τὸν δὲ ἕτερον ἐν τῇ ἕλικι. Ἤτοι τὴν μὲν ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησίαν προσδέδεσθαι τῷ κυρίῳ. Τὸν δ' ἐκ περιτομῆς τῇ τοῦ νόμου παλαιότητι.

loco (de Antichr.) in illam interpretationem duci potuit, quum adhuc in memoria retineret, quae cap. II. de prophetis dixerat. Accedit, quod ipse in annotatis ad vers. 12. eadem verba duplici modo explicata adjungit, confitens, verba hoc versu lecta diverso modo intelligi posse. Quibus de causis hos versus explicatos justo jure Hippolyto adscribi posse putamus.

Omnino huic fragmento insunt, quae pulcherrime in Nostrum quadrent. Ita vers. 4. interpretatur verba »ἀνέβης ἐπὶ τῆς κοίτης τοῦ πατρὸς σοῦ«: populus insidias struens lecto patris corrumpere studet ejus sponsam i. e. ecclesiam. Similia disserit de senioribus, qui stuprum inferre cupiebant Susannae (cf. in Susannam vers. 7 et 9.). Ad vers. 20. annotat, servatos esse per Christum etiam Patres, Patriarchas, Prophetas; similiter loquitur de Patriarchis (cf. in Susannam vers. 17.). In eodem versu refert »ἄρτος« ad Christum, quia dixerit »ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς«. Eadem explicandi ratione refert (de Antichr. cap. 10.) »ἄμπελος« ad Christum. Denique gravissimi momenti est, quod tanta similitudo intercedit inter ea, quae Hieronymo teste in benedictionem Isaaci Hippolytus scripsit, et quae hoc loco dixit, ut dubitari nequeat, quin ab eodem auctore conscripta sint [5]).

Denique exstant apud Fabricium (Vol. II. p. 38—43) fragmenta quaedam ex Pentateucho Arab. MS [6]), quae Hippolyti esse dicuntur. In hoc enim Pentateucho laudantur loci ex Origenis, Ephraemi Syri aliorumque Patrum libris [7]). Ceillier [8]) putat, auctorem hujus Pentateuchi nomen illorum Patrum simulasse, de qua re judicare haud difficile esset, si totum codicem typis exscriptum conferre liceret cum scriptis Patrum in illo laudatis. Ex Hippolyti commentariis proferuntur, quae in Genesin 6, 17.; 7, 6.; 8, 1.; Deut. 28, 1. annotaverit. Quae non esse desumta ex Hippolyti scriptis quisque vel unum tantum libelli locum respiciens intelliget [9]). Liber ipse prodit auctorem Targhumistarum aliquem, qui sacris scriptis falsas fabulas intexuerunt [10]).

Denique negligere non licet quaestionem, num Hippolytus in totam

---

5) Grabius e schedis Vossianis Romae descriptis ex Hippolyti commentario profert fragmentum (in Genes. 49, 26.), quod apud alios non invenitur. Cf. Gallandii biblioth. veter. patr. Tom. II. p. 484 not. 1. Dubito tamen, num illud verum sit, quum haud apte conjungi possit cum iis, quae ad versum 26 ab Hipp. notata leguntur in codice Vindobonensi.

6) Fragmenta illa edita sunt e codicibus Huntlingdoniano num. 84. et Bodlejano num. N. E. c. 3. 3. Codices lingua Arabica litteris autem Syriacis sunt conscripti.

7) Cf. Fabric. Vol. II. p. 37.

8) Hist. générale des auteurs sacrés Tom. II. p. 322.

9) Cujus rei testimonium proferimus locum (apud Fabric. Vol. II. p. 38) hunc: »postquam igitur imposuit finem fabricandae navi, ingressus est Noah cum filiis suis Sem, Cham et Japheth in cavernam thesaurorum. Et quidem primo aditu feliciter invenerunt corpora Patrum Adami, Sethi, Enoshi etc. Octo illa corpora erant in conditorio thesaurorum, videlicet Adami, Sethi etc. Tulit autem Noah corpus Adami. Tuleruntque filii ejus munera. Portabat Sem aurum, Cham myrrham, Japheth thus.

10) Cf. hist. litt. de la France par des religieux Bénédictins. Tom. I. part. 1. p. 327.

Genes. librum confecerit commentarium, nam miramur, quod ejus commentarium in Hexaëmeron et in Genesin laudat Hieron. Quem legisse commentarium in totum Genes. librum ab Hippolyto compositum atque uno volumine coercitum, non verisimile est; nam cur alioquin meminerit libri in Hexaëmeron scripti? Quum benedictiones Patriarcharum tantum ab Hippolyto expositae hodie legantur, quum deinde in singularibus libris disputet Hippolytus de mundo creato atque de Protoplastis, quum denique cetera Geneseos pars vix ceperit animum veterum Patrum ecclesiasticorum: incidimus in hanc opinionem, Hippolytum non in totum Geneseos librum confecisse commentarium, sed in illam tantum ejus partem, quam ab Hippolyto expositam modo laudavimus [11]).

§. 21. *In Exodum.*

In Exodum commentarium scripsisse Nostrum, testatur Hieronymus [1]), cujus vero libelli ne reliquias quidem invenimus.

§. 22. *In Numeros.*

Nemo veterum nobis tradidit, Nostrum Numerorum librum exposuisse, sed citantur quaedam a Leontio Byzantino [1]) hoc titulo »*Ἐκλογ. ἐκ τῶν εὐλογιῶν τοῦ Βαλαάμ*«. Codex, quem edidit Fabricius, habet pro »*Βαλαάμ*« »*Ἀβραάμ*«, quod legendum videtur Fabricio [2]). Sed 1) in sacra scriptura non leguntur benedictiones Abrahami, Bileami autem Num. 23. 24. 2) Grabius in codice Graeco legit »*Βαλαάμ*« [3]). 3) Eandem lectionem praebet codex Vaticanus [4]).

Quaerendum autem est, num in illis Bileami benedictionibus occurrat locus, ad quem quae hic leguntur referri possint. Quae equidem refero ad cap. 24. vers. 3, 4, vel vers. 15, 16. hoc modo: Bileamum typum putat Christi (cf. Nostri commentarium in Genesin 27.). Quod autem Bileamus in vetere testamento nominatur »*ἄνθρωπος ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν*« et »*ἀκούων λόγια ἰσχυροῦ, ὅστις ὅρασιν θεοῦ εἶδεν ἐν ὕπνῳ*«, ansam Hippolyto praebuit de duabus naturis Christi, divina et humana, disserendi [5]).

11) Laudantur praeterea ab Angelo Majo (l. l. Tom. VII. p. 84) fragmenta ex Nostri in Genesin commentario, quae locum tenerent in catena Lipsiae edita. Quae editio nobis non in promtu fuit, verisimile autem est, illa esse eadem, quae edidit Fabric. (Vol. II. p. 22—31) e catena Patr. Graecor. LXXXVIII. Angelus Majus enim non legisse videtur Fabric. editionis vol. II., nam 1) nonnulla laudantur ex commentario in benedictionem Bileami (l. l. Tom. VII. p. 134), quae invenis apud Fabric. (Vol. II. p. 45), quamquam ei erat consilium, ea tantum edere, quae typis nondum exscripta essent (cf. l. l. Tom. I. et Tom. VII. in praefat.) 2) refert, Fabric. collegisse tantum testimonia veterum de Hipp. in Genesin commentario.

1) Cf. §. 19. not. 1.

1) Contra Nestorium et Eutychen lib. I. cf. apud Fabric. Vol. I. p. 266. Vol. II. p. 45. Ang. Majum l. l. Tom. VII. p. 134.

2) L. l. cf. Ceillier l. l. Tom. II. p. 322.

3) Galandii biblioth. veter. Patr. Tom. II. p. 486. not. 2.

4) Cf. Ang. Maj. l. l. p. 134.

5) Attende, quomodo Noster explicaverit Gal. 3, 20. »*Μεσίτης*« refert ad Chri-

Num autem haec vere Hippolyti sint, constituere nequimus, quum tam breve sit fragmentum. Sed non videmus, cur non ejus sit, quum 1) Leontius scriptor saeculi VI. illud ei adscripserit; 2) quum ejusdem sit mos loco V. T. exposito adjungere locum N. T., quo interpretationem suam probet.

Quum autem nemo veterum laudet Nostri in Num. commentarium, illud fragmentum locum tenuisse in ejusdem libro contra omnes haereses putamus.

§. 23. *In Samuelis libros.*

Nemo veterum laudat Hippolyti in Samuelis libros commentarium. Theodoretus vero (dialog. I. *ἄτρεπτος* et II. *ἀσύγχυτος*) laudat librum sic inscriptum »*Ἱππολ. ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸν Ἑλκανᾶν καὶ τὴν Ἄνναν*«, et pauca ex eo tradit [1]). De Helcana autem disseritur in sacra scriptura 1 Sam. 1. Quum fragmentum ipsum causam dubitandi non praebeat, Theodoreti testimonio credendum est.

Hieronymi testimonio atque statua marmorea confirmatur, Nostrum composuisse librum de Saulo et Pythonissa, in quo disseruisse videtur de historia, quae narratur 1 Sam. 28.

§. 24. *In Psalmos.*

Cf. Hieronymi aliorumque testimonia apud Fabr. Vol. I. p. 267.

Ex quo commentario haec referuntur:

1) *ὑπόθεσις διηγήσεως εἰς τοὺς ψαλμούς* (cf. Fabric. l. l.). Hic adnotat Hippolytus, libro psalmorum ostendi, legem Mosaicam jam graviori sensu acceptam et excultam esse [1]).

2) Fragmenta commentarii in Psalmos haec:

a) In Psalmum II. Theodoreti oper. Tom. IV. p. 89 [2]).
b) In Psalm. XIII, f. Ibidem p. 36.
c) In Psalm. XXIV, 7. Ibidem p. 89.
d) In Psalm. CIX. Ibidem p. 88.

Theodoreti auctoritate commoti, quin illa genuina sint, non dubitamus.

§. 25. *In Proverbia.*

Commentarium in Proverbia Hippolyto adscribunt Hieronymus, Suidas (lexic. sub voce Hipp.), Honorius, alii. Fabricius (Tom. I. p. 269)

---

stum; ut Christus homines deo reconciliare potuisset, necesse fuisse, illum conjunxisse divinam atque humanam naturam.

1) Cf. Fabric. Vol. I. p. 267. Theodoreti oper. Tom. IV. p. 36 edit. Lutetiae Parisiorum.

1) Eundem locum habet Stephanus le moine (varia sacra Tom. II. p. 977), et Morus in notis ad N. T. (ad Hebr. 9, 5).

2) Hic locus habet, quae eadem fere leguntur contra Noëtum (cap. 18.) et apud Gelasium. Putamus hunc locum non depromtum ex Nostri commentario in Psalmos, sed ex libro contra omnes haereses. cf. §. 46.

profert versionem illius libri latinam a Theod. Peltano compositam, quae complectitur capitis primi versus 1, 2, 11. Sed minus recte sensum tetigisse interpretem illum, videmus ex Ang. Majo, qui Graece versus illos ab Hippolyto explicatos ex Vaticano codice promulgavit [1]). Praeterea nobis tradidit Fabricius (Vol. I. p. 282) nonnulla in caput 9, 1—5. [2]). Quae illo loco de σοφίᾳ leguntur, refert Hippolytus ad Christum atque incarnationem Verbi.

Illa fragmenta, quae prae se ferunt speciem antiquitatis, quin eadem sint, quae Hieronymus legit, in dubium non vocaverim.

§. 26. *In Ecclesiasten.*

Hippolyti commentarii in Ecclesiasten, quem laudant Hieronymus et Honorius, ne reliquiae quidem hodie leguntur [1]).

§. 27. *In Canticum Canticorum.*

Cujus scripti testes prodeunt Eusebius, Hieronymus, alii. Ex quo fragmentum invenimus apud Anastasium Sinaitam [1]). Cujus ultimam sententiam, incipientem a verbis »τοὺς δὲ βίβλους«, legimus apud Lambeccium [2]). Putat Hippolytus, Proverbia Salomonis, quae hodie legantur in sacra scriptura, e Salomonis mille proverbiis, et quinquies mille odis seu cantibus a quodam Ezechiae regis amico excerpta esse [3]). Refert denique, Ezechiam, quae a Salomone de rebus physicis conscripta fuissent, delevisse, quia Hebraei deum negligentes ex illis hausissent medicamina morborum [4]). — Quae in hoc fragmento leguntur, Hippolytus videtur adjecisse ad verba »ᾆσμα ᾀσμάτων« (canticum cantic. 1, 1.), quippe quibus indicetur, hunc omnium cantuum, quos conscripserit Salomon, optimum esse. Quum Eusebio et Hieronymo testibus constet, Hippolytum scripsisse in cantic. cantic., quum porro fragmento modo laudato non insint, quae ab eo aliena videantur, quum denique illud ab Anastasio saeculi sexti scriptore ei adscriptum sit, non dubium relinquitur, quin Hippolyti vere sit.

---

1) L. l. Tom. I. pars II. p. 223.
2) Quod fragmentum, complectens excerpta e variis scriptorum veterum scriptis, in codice Taurinensi 82 invenit Ch. M Pfaff. Idem praebet C. G. Woog (Hipp. fragmentum in Proverbia 9, 1—5. Graece et latine. Lips. 1764. 4.). Qui quum latius de Hipp. scripsisse videatur, dolemus, quod hunc libellum invenire omnino non potuimus.
1) Hipp. nonnulla in Eccles. 2, 24. exstare dicuntur in biblioth. Bodlejana MS. Cf. Fabr. Vol. I. p. 270.
1) Quaest. 41.
2) Lib. 8. p. 390. In ejus editione codicis MS. biblioth. Caesariensis.
3) Respicit ad proverb. 25, 1. ubi Graeci interpretes adjungunt, ea, quae sequantur, ab Ezechiae amicis servata esse, id quod omittitur in Hebraico textu.
4) Eadem narrant Suidas (in lexic. sub voce Ἐζεκίας), Syncellus, alii.

§. 28. *In Jesaiam.*

Hieronymus et Nicephorus testantur, Hippolytum in Jesaiae prophetae librum commentarium scripsisse. Ex quo nonnulla ab Hippolyto ad cap. 38, 8. annotata exhibentur in codice biblioth. Coislinianae nro. 193. Inscripta sunt »Ἱππολ. ἐπισκόπου Ῥώμης περὶ Ἐζεκίου«[1]. Narratur in hoc fragmento, deum promissionem, quam angelus dedisset Ezechiae, Judaeorum regi aegrotanti, sanatum eum iri, veram esse, hoc signo confirmasse. Solem enim, quum ad decimam jam decurrisset horam, ad primam rediisse, quare viginti horis diutius, quam fieri soleat, in coelo lux remanserit. Eodem modo lucem viginti quatuor horas eo die adfuisse, quo Josua Amoraeos vinceret (cf. Jos. 10, 12.), Ezechia autem rege lunam etiam recessisse cum sole, ne duae coeli luces colliderentur. Adjicitur illo loco, Marodachonem, quia astronomi, quum cursum solis atque lunae mutatum esse observassent, causam simul illius mutationis intellexissent, Hiskiae (cf. Jes. 39, 1.) eodem modo, quo postea Magos Christo, dona misisse.

Quam Hippolyti interpretationem breviter complexus est Mich. Glycas[2]. — Etiamsi neque auctoritate codicis (scriptus enim est saeculo XI.[3])), ex quo prodiit illud fragmentum, neque Mich. Glycae (scriptoris saec. 12.) commovemur, ut hoc fragmentum Hippolyto adscribamus, ab eo tamen illud compositum esse putamus, nam primum illum Jesaiae locum animadverti ab iis, qui antiquitus studebant arti astronomicae, necesse fuit; Hippolytum autem tum peritum computandi quum rerum coelestium studiosum fuisse constat. Deinde quod comparantur dona Marodachonis cum donis Magorum, qui ad Christum venerandum venerunt, bene quadrat in Nostrum.

Theodoretus in dialogo I. sive ἀτρέπτῳ laudat quaedam »τοῦ ἁγίου Ἱππολύτου ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Ἡσαίου«, quae spectant ad caput 19, 1.[4]). Quem locum allegorice interpretatur hoc modo: Aegyptus significat mundum; quae ipsi manu fecerunt Aegyptii sunt eorum idola; celeris nubes, qua vehitur deus, est λόγος, qui vitam ingressus errorem concussit. Quod fragmentum, quum ei non insint, quae abhorreant ab interpretandi ratione Nostri, auctoritate tam veteris scriptoris commotis genuinum nobis videtur.

§. 29. *In Jeremiam.*

Quum nemo veterum mentionem faciat Hippolyti commentarii in Jeremiae prophetias, atque locus in catena Patrum Graecorum (ad Jerem. 17, 11.) Hippolyto adscriptus inveniatur in ejusdem libro de Antichr. (cap. 55.), verisimillimum videtur, eum non confecisse commentarium in Jeremiam[1]).

---

1) Apud Fabric. Vol. II. p. 31.
2) Annales p. 194. Apud Fabr. Vol. I. p. 271.
3) Cf. Fabr. Vol. II. p. 31. 4) Apud Fabr. Vol. I. p. 271.
1) In catena laudata non dicitur locum illum esse desumtum ex Hipp. commentario in Jeremiam, sed simpliciter »τοῦ ἁγίου Ἱππολύτου.«

§. 30. *In Ezechielem.*

Eusebius laudat Hippolyti »*εἰς τὰ μέρη τοῦ Ἐζεχιήλ.*« Mirum me habet, quod Hieronymus, qui omnes libros ab Eusebio Hippolyto adscriptos laudat (atque ipsum singularem librum contra Marcionis haeresin. cf. §.§. 13. et 48.), hunc solum omisit [1]). Itaque, quum dubitem, num in codice Eusebiano, quem legit Hieronymus, illa verba vere scripta sint, corruptus mihi videtur titulus ille apud Eusebium lectus. Equidem enim puto, legendum esse pro »*Ἐζεκιήλ*« »*Ἐζεχίου*« [2]). Tum hoc titulo significatur illud, quod ex codice Coislniano exscriptum §. 28. laudavimus. Eusebius sane potuit hoc titulo uti, quum non meminerit commentarii in Jesaiam; Hieronymus autem eum omnino omittere potuit, quum laudaverit in universum commentarium in Jesaiam. Itaque non puto, Hippolytum commentarium in Ezechielis prophetias confecisse [3]).

§. 31. *In Zacharjam.*

Hieronymus [1]) (quem sequuntur Nicephorus, alii) laudat Hippolyti in Zacharjam commentarium. Quum Hieronymus testetur, se Hippolyti commentarium in Zacharjam legisse, constat Hippolytum vere explicuisse hunc librum. Hodie vero ne unum quidem fragmentum illius libri legimus.

§. 32. *In Danielem,* a) *testimonia veterum proferuntur.*

Hippolytum scripsisse de Danielis oraculis, testantur Hieronymus (catalog. cap. 61. et in Dan. cap. 9.), Freculphus, Sophronius, Honorius (de scriptis eccles. cap. 62.), Syncellus (in chronographia p. 358), Photius (biblioth. cod. 202. et 203.), Anastasius Sinaita (quaest. 48.), Suidas (lexic. sub voce Hippolytus), Oecumenius (in prooem. in apocalypsin editam a Montfaucono).

§. 33. *Pergitur,* b) *in Danielis librum canonicum.*

Commentarii in Danielem fragmentum non exiguum titulo Hippolyto adscriptum [1]), in quo explicantur cap. 7—12, et 2, 31 sqq., publicavit Simon de Magistris ex Codice Chisiano [2]). Aliud praeclarum frag-

---

1) Cf. Euseb. et Hieron. catalogos Hipp. librorum collatos §. 13.
2) Facile fieri potuit, ut »*HΛ*« litterae commutarentur cum litteris »*OY*«.
3) Fabric. (Vol. I. p. 271) quidem notat, exstare MS. in bibliotheca Bodlejana Hippolyti de dimensione templi Salomonis librum, qua re tamen sententia mea non refutatur, quum maxime dubium sit, num, quae illo titulo designentur, vere fuerint pars commentarii Hipp. in Ezechielem.

1) In praefat. comment. ad Zach.: »scripsit in hunc prophetam Origenes duo volumina .... Hipp. quoque edidit commentarios et Didymus .... Sed tota illorum *ἐξήγησις* allegorica fuit, et historiae vix pauca tetigerunt.«

1) Titulus sonat: »*Ἱππ. ἐπισκ. Ῥωμ. τῆς τοῦ Δανιὴλ ὁράσεως καὶ τοῦ Ναβουχοδόνοσορ ἐπιλύσεις ἐν ταὐτῷ ἀμφότεραι.*«
2) Cf. ejus Danielem secundum LXX. ex tetraplis Origenis. Rom. 1772. p. 95

mentum ejusdem commentarii edidit Angelus Majus 3), qui sibi proposuit ex illo commentario ea tantum edere, quae inedita latebant. Quum noscet fragmentum, quod de Magistris publicaverat 4), apparet, codicem Romanum complura complexum esse, quam quae ex illo codice ipse edidisset; concludere tamen non licet, quaecunque in Chisiano codice leguntur, inveniri in catena laudata. Itaque difficile videtur, dijudicare, quomodo alter codex sese habeat ad alterum, atque probare, num uterque, an uter verus sit habendus. Comparato utroque codice intelligimus, eos non ita sese habere, ut alter altero perfici possit. Id quod facile intelligitur. Cap. 7, 4. enim explicatur latius apud Angelum Majum quam apud Simonem, adjungitur, quod historia docetur, promissa illa vere impleta esse. Quae vero explicatio conjungi nequit cum iis, quae proferuntur in codice Chisiano, nam eadem sententia, Nabuchodonosorum gloria privatum e regno pulsum esse, occurrit in utroque codice, ita ut, si quae uterque habet, conjunxeris in unum, eadem duplici modo legantur, id quod omnino fieri non potest. Idem valet de versu 5., ad quem apud Angelum Majum breviter eadem interpretatio adjuncta est, quam latius illustratam in codice Chisiano invenimus; apud Angelum Majum autem additur, cur comparati sint Persae cum urso. Quae in codice Chisiano ad versum 6. notata leguntur, contracta sunt apud Angelum Majum, sed adjungitur, cur interpres putet, cum panthera esse comparatum Graecum regnum ejusque regem Alexandrum. Eodem modo diversa sunt, quae in utroque codice leguntur ad versum 7. 5). Idem valet omnino de quatuor prioribus capitibus apud Simonem lectis. Si igitur cogimur, ut dicamus, non omnia certe, quae in utroque codice inveniuntur, posse partes esse ejusdem libri, inde tamen concludere non licet, fragmentum alterum esse genuinum, alterum non genuinum, atque eo minus, quia sententiae in eo prolatae consentiunt, atque forma tantum, qua illae vestitae sunt, diversa est. Aliis autem locis quae Angelus Majus profert conveniunt iis, quae in codice Chis. leguntur; ita ut, si quae edidit Angelus Majus, interjecissemus iis, quae in hoc codice laudantur, perfectus videretur existere commentarius. Ita quae apud Ang. Majum annotata ad cap. 9, 21. inveniuntur, quadrant in ea, quae in codice Chis. exhibentur in initio capitis 11.; quae ad 10, 12. in ea, quae in fine capitis 27.; quae ad 10, 16. et 18. et 20. locum tenere possunt ante verba »καὶ νῦν φησὶ« in fine capitis 28.; quae ad 12, 1—3. legi

---

sqq. De codice ipso disseritur in praefat. ad eundem librum p. XX et XXXVIII sqq. Cf. J. D. Michaelis orientalische und exegetische Bibliothek Thl. 3. S. 153 sqq. Thl. 4. S. 1 sqq.

3) L. l. Tom. I. pars. II. p. 161 sqq. Invenit hoc in catena Patrum in Danielem, de qua latius disserit in praefat. p. XXXVII sqq.

4) Cf. l. l. p. 162. not. 1.

5) Exempli causa afferimus, quae annotata sunt ad versum 5. Cf. Ang. Maj. p. 20: Ἵνα ἐν τούτῳ (θηρίῳ δευτέρῳ) δείξῃ τὴν τῶν Περσῶν βασιλείαν. Τρία δὲ πλευρὰ καλεῖ τὰ τρία ἔθνη· λέγει οὖν, ἦρχεν αὐτὸ τὸ θηρίον, οἳ ἦσαν Μῆδοι, Ἀσσύριοι καὶ Βαβυλώνιοι. Apud Simonem cap. 1. p. 96: δεύτερον θηρίον ὁρᾷ ὅμοιον ἄρκτῳ, ὅπερ ἦσαν Πέρσαι· μετὰ γὰρ Βαβυλωνίους Πέρσαι διεκράτησαν. Τὸ δὲ λέγειν τρία πλευρὰ ἐν τῷ στόματι αὐτῆς, τρία ἔθνη ἔδειξε Πέρσας, Μήδους, Βαβυλωνίους· ὅπερ δέδεικται μετὰ τὸν χρυσὸν ὁ ἄργυρος ἐν τῇ εἰκόνι.

possunt ante cap. 41. Verbo tenus consentiunt quae ad 10, 6. apud Angelum Majum notantur cum iis, quae capite 26 leguntur; eodem modo inveniuntur ad 12, 7, notata in capite 43.; atque eadem, quae ad 10, 13. exponuntur, habes cap. 28. [6]).

Quum igitur similitudo non exigua inter utrumque codicem cognoscatur, verisimile videtur, ab eodem esse auctore compositos illos in Danielem commentarios. Attamen mirum videretur, si idem vir confecisset duos in eundem librum commentarios. Quod aenigma ut solvamus, respiciendum nobis est ad Hippolyti librum de Antichristo, in quo (cap. 22—26.) eadem leguntur, quae paucis tantum omissis apud Simonem cap. 1—3 exhibentur. Quum autem mirum nobis visum sit, quod idem auctor dicitur eadem in duobus diversis libris scripsisse, in sententiam incidimus hanc, locum illum ex altero in alterum scriptum delatum esse. Sin vero quae leguntur apud Simonem cap. 1—3. desumta sunt ex libro de Antichristo, sane fieri non potuit, ut quae illo loco apud Simonem leguntur, consentiant cum iis, quae ad eundem Danielis locum notata invenimus in codice, quem edidit Angelus Majus. Quum autem, quia ea, quae apud Simonem leguntur, magna ex parte perficienda sunt iis, quae in codice Vaticano exhibentur, concedendum sit, commentarium apud Simonem lectum ex toto in Danielem commentario excerptum esse; verisimile videtur, eum, qui illum commentarium a Simone editum excerpserit, sumsisse cap. 1—3. ex Hippolyti libro de Antichristo (cap. 22—26.), quia hoc loco brevius leguntur, de quibus latius disseruit Hippolytus in commentario ipso ad Danielem.

Quae codice Chis. servata sunt, collata videntur non multum post Hippolytum, nam Apollinarius [7]) refert, Nostrum una cum Nabuchonodosori somnio explicasse visionem ipsius Danielis [8]). Quum illud fragmentum tam vetusto tempore confectum videatur, dubium est, num Photius legerit illa excerpta, an commentarium ipsum. Sed puto, eum, si illa legisset, relaturum fuisse, Hippolytum interpretatum esse somnium tantum Nabuchonodosori conjunctum cum Danielis visione. — Quum igitur ejusdem libri partes habeamus, quae Angelus Majus edidit, et quae in codice Chis. inde a cap. 4. usque ad finem leguntur, non autem quae in eodem habentur in quatuor prioribus cap., hoc loco, quo nobis probandum est, quae hodie adsint partes Hippolyti commentarii in Danielem, non respicimus ea, quae pars libri de Antichristo habenda sunt.

Quum fragmentum a Simone editum ex Hippolyti libro de Antichristo et toto commentario in Danielem jam collatum sit circa medium saecul. IV. [9]), necesse est, ut inter Hippolyti verum librum de Antichristo et commentarium totum in Danielem similitudo sit non exigua. Si igitur invenimus similitudinem inter librum quendam Hippolyto adscriptum, in quo de Antichristo disseritur, et commentarium quendam in Danielem,

6) Pro »Μιχαὴλ« tantum legitur in codice Chis. »ὁ λέγων.«
7) Cf. Angelum Majum l. l. p. 173.
8) Si cognosset Nostri in Dan. commentarium verum, non video, cur non illum ipsum, sed maluerit ea citare, quae ex alio ejusdem libro deducta sint.
9) Cf. testimonium Apollinarii apud Angelum Majum l. l. p. 173.

qui eundem auctorem habere dicitur, hunc utrumque ab Hippolyto confectum putamus, nisi certae dubitandi adsunt causae. Similia vero leguntur in fragmentis laudatis atque in libro de Antichristo a M. Gudio edito (cf. §. 42.). Ita quae de tempore, quo mundus consummetur, docentur de Antichristo cap. 42. et 43., latius probantur in commentario ad Danielem, apud Simonem cap. 4—7.; quae de Henocho et Elia, Christi praecursoribus, atque de hebdomadibus annorum et de Babylonica captivitate leguntur cap. 43. et 64., exhibentur quoque in Dan. 22. et 40.; de Antichristo cap. 23. contenditur, vere facta esse, quae Daniel vaticinatus sit, id quod historia probatur in Dan. cap. 8. et 9. De Antiocho, Alexandri magni nepote, cujus mentio fit de Antichristo cap. 49., latius disseritur in Dan. cap. 10.; eadem, quae de Ammonitis et Moabitis referuntur de Antichr. cap. 51., in Dan. cap. 40. invenis. Locum in libro de Antichr. cap. 26., qui desideratur in ea codicis Chis. parte (cap. 1—3.), quam desumtam ex illo libro probavimus, legimus verbo tenus apud Angelum Majum ad cap. 7, 15. (l. l. p. 205). Praeterea interpres utitur eodem Messiano, quem dicunt, interpretandi modo, quem in aliis Hippolyti scriptis adhibitum invenimus [10]). Quod in commentario, de quo nunc disserimus, constituitur numerus annorum, qui praeteriti fuerunt a mundo creato usque ad Christum, atque tempus ostenditur, per quod Babylone retinebantur Judaei, bene quadrat in Nostrum, qui artem arithmeticam fovebat. Denique, id quod maximi momenti est, Hieronymus et Photius [11]) ipsi, se legisse fragmenta commentarii in Danielem laudata, testantur. Alter enim eorum [12]) Nostro adscribit sententiam aliquam, quae constructa videtur ex iis, quae in codice Chis. leguntur cap. 13., 15., 39. Alter refert [13]), Hippolytum mundi finem posuisse in anno post Chr. n. quingentesimo, quia sexies modo mille annos mundus maneat, quinquies autem mille quingentique praeteriti sint a mundo creato usque ad Christum. Id quod latius exponitur in cod. Chis. cap. 4.

Quae quum ita sint, luce clarius est, utrumque fragmentum confectum esse ab Hippolyto. Quum Photius referat (l. l.), Nostrum non verba singula, sed sententiarum nexum atque tenorem explicasse, opinor, codicem, quem Angelus Majus legit, integrum atque perfectum Nostri commentarium in Danielem continere. Itaque maximi momenti esset, si ille vir celeberrimus publicasset totum codicem.

§. 34. *Pergitur, c) in Susannam* [1]).

Allegorico modo historiam de Susanna refert Hippolytus ad eccle-

10) Cf. quae Hipp. annotavit ad cap. 3, 92. et 93., et ad cap. 7.

11) Quae Anastasius Sinaita (quaest. 48. cf. Fabr. Vol. I. p. 272) ex Hipp. in Danielem commentario laudat, referenda sunt ad ea, quae in cod. Chis. cap. 1. leguntur. Ex loco ipso patet, ipsum desumtum esse ex interpretatione, quae spectat ad Nabuchonodosori somnium et Danielis visum simul explicatum. Cf. apud Simonem cap. 1. not. 1.

12) Hieron. in Dan. 9, 27.

13) Photius cod. 201.

1) Quem librum primus edidit Combefisius (noviss. biblioth. Patrum Tom. I.), ex-

siam, quae a gentibus vexatur. Susanna est typus ecclesiae, ejusque conjux Joacimus Christi; Babylonem refert ad mundum; hortum, in quo lavabatur Susanna, significat ei vocationem Sanctorum, qui tanquam fructiferae arbores in ecclesia plantati sint. Duo seniores significant ei duos populos, alter Hebraeos, alter paganos, qui diabolo incitati ecclesiam conjuncti persequuntur. Ut accuratius perspiciamus rationem, qua in libello disseritur, pauca alia ex illo proferamus. Vers. 15. diem aptum, quo lavatum in hortum ivit Susanna, refert ad festum paschale, quo omnibus lavacrum paretur. Susannam lavatam esse, dicit, quia fuerit munda dei sponsa. Puellae, quae eam comitantur, sunt fides in Christum atque caritas in deum. Vers. 21. contendit, cum Susanna fuisse in lavacro adolescentem quendam, sed non, qui cum illa commisceretur, sed qui innocentiae testis foret. Vers. 22. refert, quae de falso accusata Susanna narrantur, ad ecclesiae statum, quum Christiani Hippolyti aetate, nisi venerati essent paganorum idola, ad tribunal adducti mortis damnarentur. Vers. 23. transfert in eos, qui propter Christum patiuntur. Vers. 35. vexata Susanna flebat, ut lacrimis exciret *λόγον*, qui et lacrimis Lazarum mortuum in vitam revocasset.

Quae scripta esse ante Constantinum imperatorem, inde elucet, quod vers. 22. verba »*ἀνεστέναξεν Σωσάννα*« referuntur ad Christianos martyres, qui, nisi obsequentes paganis idola venerarentur, ad tribunal adducerentur. Vers. 5. probatur, illa esse conscripta eo tempore, quo Judaei et pagani se conjunxissent ad destruendas res Christianas, id quod factum est Nostri tempore [2]). Ratio interpretandi pulchre quadrat in Hippolyti ingenium. Inveniuntur sententiae, quae similes videntur aliis a Nostro in genuinis libris prolatis; e. c. vers. 12. dicit, eodem, quo seniores ad Susannam, modo in ecclesiam venire gentiles atque Judaeos, ut falsos testes adversus Christianos se praebeant. Similiter admonet auctor libri de Antichristo (cap. 1.) Theophilum, ut caveat, ne hic liber in conspectum veniat profanorum hominum. Vers. 35. invenimus eandem de »Verbo« sententiam, quae latius exponitur de Antichristo (cap. 2. et 4. cf. librum Hipp. adversus Judaeos). Eodem allegorico modo interpretatus est Noster benedictionem Jaacobi et Isaaci (cf. §. 20.).

Quum deinde Hippolyto a Syncello [3]) adscribatur liber de Susanna et Daniele, non habemus, cur hunc librum, qui locum habet in eodem cod. Rom., ex quo Angelus Majus edidit commentarium in Danielem, Nostro abjudicemus. Combefisius [4]) putat, Hieronymum et Photium de hoc tantum libro dixisse. Eos vero non solum hunc librum, sed etiam totum in Danielis librum commentarium, qui complectebatur hunc etiam librum atque ea, quae in canticum trium puerorum scripsit, legisse, jam probavimus.

---

cusus est iterum a Fabr. Vol. I. p. 278. Eundem inveniri in codice Romano, quem in antecedenti §. laudavimus, testatur Angelus Majus l. l. Tom. I. pars. II. p. 161. nota 1.

2) Cf. Ceillier l. l. p. 326.

3) Cf. G. Syncellum in chronogr. p. 218. apud Fabr. Vol. I. p. 272.

4) L. l. p. 62.

§. 35. *Pergitur, d) in canticum trium puerorum.*

Hippolytum hunc canticum legisse in medio capitis 3 Danielis libri canonici, inde apparet, quod citantur versus illius capitis [1]) eodem numero, quo referuntur a Graecis interpretibus. Quum igitur commentarium in Danielis librum canonicum hunc in canticum trium puerorum complecti in aprico sit, ea, quae inveniuntur in catena Patrum in psalmos et cantica sacrae scripturae (edit. Corderian. Tom. III. p. 951 ad 3, 37.) [2]), legenda sunt in annotationibus ad cap. 3. libri canonici. Quum igitur commentarius in canticum trium puerorum innexus sit commentario in Danielis canonicum librum, quin optimo jure ei adscribatur, non est quod dubitemus.

§. 36. *Pergitur, e) de Hippolyti prooemio in commentarium ad Danielem.*

Fragmentum apud Fabricium (Vol. I. p. 278) prooemium esse commentarii in Danielem videtur. Primum, cur conscripserit hunc libellum, deinde, quando vixerit Daniel et versatus sit captivus Babylone, exponit; denique paucis illustrat Judaeorum historiam a Joacha rege usque ad tempus, quo in exilium Babylonem ducti sunt. Quibus absolutis hoc modo transire videtur ad explicandam historiam de Susanna: „τοῦ λαοῦ παντὸς μετοικισθέντος (εἰς Βαβυλῶνα) . . . . . εὑρίσκομεν τὸν μακάριον Δανιὴλ ἐν Βαβυλῶνι προφητεύσαντα, καὶ ἔκδικον τῆς Σωσάννης γενόμενον.“ Non videre possemus, quid sibi vellet additamentum, Danielem Babylone extitisse vindicem Susannae, nisi hisce verbis eum transire voluisse ad commentarium in historiam de Susanna conjicere liceret. Atque traditum nobis est, historiam de Susanna locum tenuisse in codice, quo utebatur Hippolytus, ante librum canonicum Danielis [1]). Talis quum fuerit codex nostri scriptoris, verisimile videtur, prooemium illud ab Hippolyto vere esse compositum [2]). Quae sententia confirmatur a Syncello [3]). Dicit enim, ab Hippolyto relatum esse in scripto de Susanna et Daniele, Joacimum sive alio nomine Jechoniam, quum tres annos regnasset, cum populo Babylonem ductum esse, inter quos Danielem ejusque tres amicos; uxorem vero regis fuisse Susannam. Quum in Hippolyti libro de Daniele et Susanna nihil inveniatur de Daniele abducto neque de tempore, per quod regnaverit Joacimus, id quod in prooemio legitur, ge-

---

1) Cf. Angelum Majum l. l. Tom. I. pars. I. p. 161.

2) Cf. Fabric. Vol. I. p. 280. Quae ex Hipp. in Daniel. commentario laudat Eustratius CP. adv. Psychopannuchitas cap. 19., exhibentur apud Fabr. Vol. II. p. 32.

1) Cf. Fabr. Vol. I. p. 273: ταύτη μὲν οὖν ἡ ἱστορία γεγένηται ὕστερον, προεγράφη δὲ τῆς βίβλου πρώτης . . . . . . εὑρίσκομεν γὰρ καὶ ἐν τοῖς προφήταις ὁράσεις τινὰς πρώτας γεγραμμένας, καὶ ἐπ' ἐσχάτων πεπληρωμένας.

2) Quod quidem non magni est momenti, quum praestantissimi codices in initio libri Danielis canonici historiam de Susanna exhibeant. Cf. Simonem l. l. in praefat. p. XVII.

3) In chronogr. p. 218.

nuinum illud adscribimus Hippolyto. Praeterea autem non invenias, quae a Nostri ingenio abhorreant, sed insunt sane aliqua, quae pulchre in eum quadrant, e. c. quod tam accurate indicatur tempus, per quod singuli regnaverint reges. Porro hoc prooemium post Constantinum imperatorem non scriptum esse, inde elucet, quod et Daniel nominatur propheta atque Christi martyr, et tribus ejus amicis attribuitur epitheton »μάρτυρες πιστοί.«

§. 37. *In evangelium Matthaei.*

Hieronymus (in praefat. commentarii ad Matthaeum [1])) testatur, se Hippolyti commentarios ad Matthaeum legisse. Sed quum Hieronymus hunc Nostri librum non nominet in catalogo ejus librorum, puto, eum non commentarium perpetuum in Matthaeum, sed singula quaedam legisse, quae Hippolytus in aliis scriptis ad Matthaeum annotaverit [2]).

§. 38. *De Joannis evangelio et apocalypsi.*

Hieronymus laudat Nostri libellum de apocalypsi, in marmoreo laterculo nominatur »ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον καὶ ἀποκαλύψεως«; Ebedjesu inter Nostri scripta refert apologiam pro apocalypsi et evangelio Joannis [1]). Itaque videtur Hippolytus in eodem libro docuisse, evangelium et apocalypsin, quae Joanni apostolo adscribantur, vere ab eodem conscripta esse. Num in illo disputaverit contra Alogos, an contra eos, qui Romae illos libros rejecerunt, constituere non audeo [2]). Quum Hieronymus commentarium in apocalypsin ab eo confectum laudare videatur, id quod Syncellus [3]) plane affirmat, praeterea, quum quanti aestimaverit apocalypsin, inde appareat, quod in libro de Antichristo (cap. 26. et 48.) et ipse confitetur, et singulos locos saepe affert atque diligenter exponit: re vera eum illius libri interpretationem scripsisse, non inepte aliquis conjecerit [4]).

---

1) Legisse me fateor in Matthaeum, Origenis quinque volumina, ... et Theophili commentarios: Hipp. quoque martyris et Theodori, Apollinarii, Didymi.

2) Quae leguntur in catena Patrum Graecor. Corderiana p. 33 (apud Fabr. Vol. 1. p. 280) ad Luc. 2, 15. ab Hipp. annotata: »quod si velis, Verbum dei primogenitum a coelo in Mariam descendens, etiam homo primogenitus in utero formatum est, ut primogenitum Verbum dei homini cooptatum primogenitum ostendatur«, eadem fere exhibentur in fragmento aliquo servato a Theodoreto, quod invenimus apud Fabricium Vol. I. p. 267. cf. §. 23.

1) Cf. Assemanni biblioth. oriental. Tom. I. pars I. p. 15. Cf. Neander Kirchengeschichte. Thl. 1. Abthl. 3. S. 1160.

2) Cf. Gieseler Kirchengeschichte. Thl. 1. S. 274. cf. §. 10. not. 6.

3) Chronogr. p. 358.

4) De commentario aliquo in apocalypsin inedito disserit Fabric. Vol. I. p. 280. cf. §. 56. nro. 4.

Caput III.

De Hippolyti libris dogmaticis apologeticisque.

§. 39. *Hippolytus scripsit librum de Antichristo.*

Hippolytum composuisse librum »de Antichristo«, testantur primus Hieronymus, deinde Joannes Damascenus [1]), denique Photius [2]), qui contendit, se ipsum legisse Hippolyti librum de Christo et Antichristo.

Adsunt hodie duo libri Hippolyto adscripti, in quibus disseritur de Antichristo. Alterum M. Gudius 1661 edidit ex MS. Rhemensi et Ebroicensi, quos codices in Rhemorum urbe invenit, alter prodiit Parisiis 1557 Joanne Pico interprete. Quaeritur igitur, quum constet, Hippolytum scripsisse de Antichristo, num uterque liber, an neuter, an uter Hippolyti sit putandus.

§. 40. *Uterque liber de Antichristo Hippolyto adscriptus ab eodem auctore non est compositus.*

Etiamsi maxima est similitudo inter utrumque librum in antecedenti §. laudatum, ita ut complura verbo tenus consentiant (e. c. in libro Gudiano cap. 22—25. cf. in Piceo 13—15.; in Gud. cap. 7—13. cf. in Pic. cap. 18.; in Gud. 14. et 15. cf. in Pic. cap. 19. et 20.), tamen tam vario modo de una eademque re in utroque disputatur, ut ab eodem auctore compositi esse nequeant.

1) In Gudiano libro (cap. 2.) prophetae describuntur muti, qui non ipsi, sed per quos uti organon loquatur λόγος. In Piceo autem (cap. 2.) contenditur, prophetas res arcanas atque futuras ipsorum vita et oraculis revelasse, ita ut sua ipsorum persona homines deo reconciliarent.

2) In Pic. libro Antichristus nominatur diabolus ipse (cap. 22.); in Gud. autem filius diaboli atque vas Satanae (cf. cap. 6. 14. et 57.). In hoc uti verus homo describitur eodem modo, quo Christus (cap. 6.); in illo autem ei tribuitur corpus phantasticum, ita ut non fuerit homo, sed hominibus homo visus sit [1]).

3) In libro Gud. refertur, praecessuros esse secundo Christi adventui Henochum et Eliam (cap. 64.); in Pic. (cap. 21.) his adjungitur Joannes evangelista.

4) Auctor libri Gud. vult, mystico illo numero, qui laudatur Apocalyps. 13, 18, significari vocem »Λατεῖνος« (cf. cap. 50.); in altero libro (cap. 28.) explicatur ille numerus voce »ἀρνοῦμαι«, quia, qui Antichristum colant, negent creatorem coeli et terrae atque baptisma.

1) In sacris parallelis edit. Lequin. Tom. II. p. 781.
2) Cod. 202. Aliorum testimonia exhibentur apud Fabric. Vol. I. p. 34.
1) Quae hac de re annotata sunt ab Combefisio, invenis apud Fabric. Vol. I. p. 10.

5) Varia in utroque libro est forma dicendi, in Gud. sententiae simpliciter conjunguntur, in Pic. autem gravis est dictio, atque auctor tam paucis pronuntiat et conjungit sententias, ut non solum a Graeca indole plane abhorreat, sed ut vix intelligi possit. — Praeterea in Gud. dicta probantia scripturae sacrae annectuntur formula »λέγει γάρ«, Picei vero auctor utitur variis formulis [2]).

6) Denique Gud. libri auctor in laudandis oraculis secutus videtur versionem LXX., Picei libri autem Theodotianam (cf. in Gud. cap. 19, in Pic. cap. 10.).

§. 41. *Libri a Pico editi auctor Hippolytus esse nequit.*

Librum a Pico editum ab Hippolyto non esse compositum paucis quidem, gravissimis tamen, causis prolatis probare liceat.

1) Cap. 7. sermo fit de monachis. Monachorum autem ordines saeculo quarto demum exstitisse, satis constat [1]).

2) Cap. 7. et 34. mentio fit ecclesiarum, ita ut appareat, auctorem cogitasse aedem, in qua convenire soleant Christiani. Constat quidem tertio saeculo aedificata esse templa [2]), voce autem »ναός« quam habet auctor (cap. 8.), illo sensu inde a Constantini demum tempore usi sunt [3]).

3) Cap. 34. invenimus sententiam, lugere ecclesias, quia non praebeatur oblatio atque suffitus. Id quod Hippolyti nostri tempore fieri solebat in sepulturis tantum, in conventu autem publico apparuit ille mos quarto demum saeculo [4]).

4) Cap. 48. discernuntur duae animi partes [5]), quod discrimen Noster cognovisse quidem, sed non probasse videtur [6]).

Quae sufficiunt ad sententiam nostram probandam.

§. 42. *Libri a Gudio editi auctor est Hippolytus.*

Jam vidimus (cf. 33.), cum librum de Antichristo Hippolyto adscriptum, inter quem et ejusdem commentarium in Danielem similitudo inveniatur quaedam, verum habendum esse, nisi certae adsunt dubitandi causae. Similitudinem vero esse inter librum a Gudio editum et commentarium in Danielem, supra (cf. §. 33.) probavimus. Deinde non adsunt causae, quibus commoveamur, ut librum laudatum Hippolyto abju-

---

2) Cap. 3. et 12.: τί οὖν φησίν; cap. 5.: γὰρ προφητεύει; cap. 6.: καὶ προαγορεύει; cap. 8. et 13. cf. cap. 18.: τὸ λέγων βοᾷ; cap. 10.: ἐδίδαξεν ἡμᾶς λέγων; cap. 12. 19. 21. et 36.: ἔλεγεν οὕτως.

1) Cf. Gieseler l. l. p. 332.

2) Cf. Gieseler l. l. p. 301.   3) Cf. ibidem.

4) Cf. Tertull. apolog. cap. 30. et 42., de spectaculis cap. 11. et de cor. milit. cap. 10. Gieseler l. l. p. 578.

5) σὺ πνεῦμα καὶ ψυχὴν ἔθηκας.

6) Conf. contra Platonem (apud Fabricium Vol. I. p. 222), ubi de animo (ψυχῇ) tantum loquitur. Cf. fragmentum ab Angelo Maio laudatum l. c. Tom. VII. p. 84. cf. §. 19.

diximus, sed inveniuntur, quae eum auctorem prodant. Photio enim consentimus dicenti, huic libro atque commentario in Danielem eandem dicendi formam et sensuum simplicitatem inesse. Itaque dubitare non possumus, quin liber Gudianus idem sit, quem Photius legerit. Deinde insunt huic libro nonnulla, quae auctorem saeculi quarti certo in haereticorum numerum detrusissent; e. c. post Arium scribens spiritui divino vix addidisset praedicatum »πατρικὸς« (cf. cap. 11.), quippe qua re in suspicionem venire potuisset, se spiritum nominare Christi patrem [1]). Quae de incarnatione λόγου dicuntur, tam ambigua sunt, ut appareat, auctorem non plane intellexisse atque accurate discrevisse notiones trinitarias (cf. cap. 4.). Porro in commentario Hippolyti in Danielem et in libro nostro eandem interpretandi rationem usurpatam invenimus, cujus rei hoc gravissimum proferimus exemplum. In illius libri (apud Simonem cap. 43.) ea re, quod vir quidam utramque manum tollit, significari putat passionem Christi. Eodem modo referuntur (de Antichr. cap. 61.) ad Christum cruci affixum duae illae alae aquilae, quarum mentio fit Apc. 12, 14.

Accedit, quod in catenis Patrum Graec. in Jeremiae cap. 17, 11. ab Hippolyto annotata [2]) leguntur in nostro libro (cap. 55.). Deinde Joann. Damascenus [3]) citat sub Hippolyti nomine hunc librum inde a cap. 5. usque ad cap. 49. sub fine. Denique Andreas Caesariensis in Apc. 13, 1. (p. 70) annotat, Hippolytum bestiam, de qua illo loco sermo fit, de Antichristo interpretatum esse (cf. cap. 49.).

Quibus igitur causis commoti cogimur, ut hujus libri auctorem habeamus Hippolytum.

§. 43. *Quomodo inscripserit Hippolytus librum modo laudatum.*

Codices, ex quibus edidit Gudius hunc librum, inscriptionem prae se ferunt hanc »περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου«, quae exiisse videtur e titulo, quem libro dedit Photius »περὶ Χριστοῦ καὶ Ἀντιχρίστου«. Hieronymus autem librum inscripsit »de Antichristo«, cui assentit M. Gudius [1]). Id quod equidem probo; nam de Christo pauca modo dicuntur, atque ea quidem, quibus ille conjungitur cum Antichristo. Christi tantum mentionem facit auctor eum in finem, ut demonstret, qualis sit interitus Antichristi [2]).

§. 44. *De Hippolyti libro adversus omnes Haereses.*

Hippolytum conscripsisse librum adversus omnes haereses, testantur Eusebius, Hieronymus, Gelasius [1]), Nicephorus. Photius [2]) tradit,

---

1) Quae ad hunc locum a Gudio annotata sunt, leguntur apud Fabricium Vol. I. p. 9.
2) Edit. Ghislerian. Tom. II. p. 449. 3) L. l.
1) Apud Fabric. Vol. I. p. 2.
2) Cf. cap. 5., quo Hipp. ipse summam tractationis affert.
1) De duabus naturis in Christo, Tom. VIII. biblioth. Patr. ed. Lugd. p. 704.
2) Cod. 121.

se legisse Nostri libellum adversus triginta duas haereses, a Dositheanis scilicet usque ad Noëtum ejusque discipulos, in quo ipse testatus sit, se contraxisse Irenaei contra haereses sermones[3]). Talibus testimoniis commovemur, ut Nostrum conscripsisse illum librum putemus. — Adjungimus testimonia veterum, quibus Nostrum contra quasdam haereses confecisse librum confirmatur. Contra Dositheanos illum scripsisse, testatur Photius[4]); contra Nicolaitas Stephanus Gobarus[5]) et Theodoretus[6]); adversus Montanistas Stephanus Gobarus[7]). Capita adversus Cajum laudat Ebedjesu[8]). Assemannus[9]) et Fabricius[10]) putant, Hippolytum non dicere de Cajo illo, presbytero Romano, cujus familiaritate apud Irenaeum, praeceptorem communem, usus sit[11]). Quibuscum consentio; nam verisimile videtur, eum, quum Irenaeus[12]) ipse refutasset Caïnos sive Cajanos Gnosticos, qui cohaererent cum Ophitarum secta, contra eosdem disputasse. Contra Valentinianos Nostrum scripsisse, confirmatur ab Epiphanio[13]); contra Simonem Magum prolegomenis ad constitutiones apostolicas[14]). Quum Irenaeus contra illum disputaverit, verisimile videtur, Hippolytum etiam illum refutasse.

In chronico paschali, quod vulgo Alexandrinum appellatur, fragmentum laudatur ex Nostri libro adversus omnes haereses[15]), in quo disputat contra Quartodecimanos. Dubitare non possumus, quin illud fragmentum vere ab Hippolyto compositum sit, nam et constat, eum magnam operam navasse in definiendo paschalis festi tempore, et similis locus, qui desumtus laudatur ex libro primo de sancta pascha[16]), ei adscribitur in eodem chronico.

Gelasius, episcopus Romanos[17]), profert »ex Hippolyti memoria haeresium« fragmenta duo, quorum alterum in minoribus tantum differt a Nostri libro contra Noëtum cap. 18.[18]), in altero breviter contenditur, Christum fuisse secundum carnem ex Davidis genere, ex deo secundum spiritum. Alterum fragmentum Hippolytanum putandum est, quum idem fere occurrat in libro contra Noëtum, quem ejus esse infra (§. 46.) probabimus. Quum alterum alterum excepisse videatur[19]), hoc quoque genuinum putamus.

---

3) Cf. §. 4. 4) L. l. 5) Apud Photium cod. 232.
6) Lib. III. de haereticis fabulis cap. I.
7) Apud Phot. l. c.
8) Catalogus librorum Syrorum cap. VII. in Assemanni biblioth. orient. Tom. III. pars I. p. 15.
9) In nota ad l. c. 10) Vol. I. p. 214.
11) Cf. Benedictinos l. l. p. 356. Fabricii biblioth. Graec. edit. Harless. Vol. VII. p. 197.
12) Cf. Adversus haereses. edit. Massuet. I, 31. p. 112. cf. not. 1.
13) Haeres. 31.
14) Apud Fabric. Vol. I. p. 235.
15) Apud Fabric. Vol. I. p. 224.
16) Cf. apud Fabric. Vol. I. p. 43. cf. §. 13. et 14.
17) L. l. 18) Cf. §. 46.
19) In altero fragmento probatur, Christo fuisse duas naturas, divinam atque humanam; alterum ita sonat: »vidisti quod secundum carnem quidem ejus ex David erat, quod vero secundum spiritum, ex deo: quapropter probatum est, eundem et deum et hominem.«

§. 45. *De libro contra Beronem et Helicem*[1] *Hippolyto adscripto.*

Fragmenta ex libello contra Beronem et Helicem, quae hodie leguntur, servaverunt Anastasius presbyter et Apocrisarius[2]. Qui videntur non legisse Nostri librum adversus omnes haereses totum, in quo haec desumta esse vult Fabricius[3]. Dicunt enim in epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem[4], cui haec fragmenta miserunt, in illo libro, quem totum transscribere sibi proposuerint, disputari contra confusionem et commixtionem utriusque Christi naturae.

In quo fragmento contenditur, in Christo fuisse duas naturas, divinam atque humanam, arcte conjunctas, non confusas atque commixtas, quae Beronis sententia fuisse dicatur[5]. Deum esse immensum atque infinitum; immensum autem et infinitum commutari non posse, quia non adsit locus, ad quem moveri possit[6]. Itaque cogitari non posse, divinam naturam commutatam esse in humanam. Utramque naturam sibi propriam vim atque virtutem in Christo servasse. Hunc divina natura edidisse miracula; humanam autem dolori et affectibus obnoxiam fuisse[7]. Sin autem confunderentur naturae, dualitas adscriberetur Christo, atque si personae separarentur, existeret quaternitas in Christo[8]. Nam eum, qui adscribat alii, quae ad alius naturam spectent, confundere duas naturas, dividere autem personas[9].

Inscriptionem[10] non esse confectam ab auctore fragmenti, sed ab Anastasio, apparet; nam quid alioquin sibi velit additamentum »οὗ ἡ ἀρχὴ ἅγιος κ. τ. λ.«, conspici nequit.

---

1) Fabricius (Vol. I. p. 225) respiciens lectionem duorum codicum »ἡλικιῶνος τῶν αἱρετικῶν« putat, legendum esse »ἡλικιωτῶν αἱρετικῶν«, ita ut tituli sensus sit contra Beronem et haereticos alios ejus aequales. Cf. biblioth. Graec. edit. Harles. Vol. VII. p. 191. J. Basnage vero contendit (animadversiones de vita, morte et scriptis Hipp. in H. Canisii lectionibus antiquis Vol. I. p. 12), contra Beronem et Helicem Valentini discipulos in hoc libello disputari.

2) Cf. Maximi oper. Tom. I. edit. Combefis. in actis Maximi p. LXXXVII. Apud Fabric. Vol. I. p. 225 sqq. 3) Bibl. Graec. l. l.

4) De epistola illa Anastasii latius disserit Nicephorus C. P. in libro contra impugnatores imaginum, atque citat nonnulla ex tertio sermone. Cf. Gallandium l. l. p. 467.

5) In sermone quinto: *Βήρων γάρ τις ἔναγχος, μεθ' ἑτέρων τινῶν, τὴν Βαλεντίνου φαντασίαν ἀφέντες, χείρονι κακῷ κατεπάρησαν, λέγοντες, τὴν μὲν προσληφθεῖσαν, τῷ λόγῳ σάρκα γενέσθαι ταυτουργὸν τῇ θεότητι διὰ τὴν πρόσληψιν· τὴν θεότητα δὲ γενέσθαι ταυτοπαθῆ τῇ σαρκὶ διὰ κένωσιν· τροπὴν ὁμοῦ, καὶ φύρσιν, καὶ σύγχυσιν, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλους ἀμφοτέρων μεταβολὴν δογματίζοντες.*

6) In sermone primo: *τὸ γὰρ ἄπειρον κατ' οὐδένα τρόπον ἢ λόγον ἐπιδέχεται κίνησιν, οὐκ ἔχον ὅποι καὶ περὶ ὃ κινηθήσεται.*

7) Cf. sermonem tertium.

8) In sermone quinto: *φύσεων αὐτοῖς συγκεχυμένων ἔσται δυὰς ὁ Χριστὸς, καὶ προσώπων μεμερισμένων τετρὰς κ. τ. λ.*

9) In serm. sexto: *Ὁ γὰρ ἑτεροφυῶν εἰδὼς ταυτουργίαν, σύγχυσιν ὁμοῦ φυσικὴν, καὶ διαίρεσιν αὐτῶν εἰσηγεῖται προσωπικήν.*

10) *Τοῦ ἁγίου Ἱππολύτου ἐπισκόπου Πόρτου, ἤγουν τοῦ λιμένος Ῥώμης καὶ μάρτυρος τῆς ἀληθείας, ἐκ τοῦ κατὰ Βήρωνος καὶ Ἥλικος τῶν αἱρετικῶν, περὶ θεολογίας καὶ σαρκώσεως κατὰ στοιχεῖον λόγον, οὗ ἡ ἀρχή, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος σαβαώθ ἀσιγήτῳ φωνῇ βοῶντα τὰ Σεραβὶμ τὸν Θεὸν δοξάζουσι.*

Fragmentum ipsum num Hippolyti sit, hac de re in utramque partem et saepe disputatum est [11]). Multi rejecerunt hunc librum his causis commoti:

1) Quum in illo errores Apollinarii et Eutychis refutati essent, apparere, scriptum esse librum post disputationes, quae dicuntur, monotheleticas;

2) Si Chalcedonensis concilii tempore jam scriptus fuisset, Theodoretum ex eo argumenta sumturum fuisse, quum nonnulla ex aliis Nostri scriptis laudaret;

3) A nemine veterum tradi quidquam de Berone et Helice [12]).

Qui defendunt librum, putant, fieri posse, ut scriptor ecclesiasticus quaedam afferat, quibus error haereticus postea ortus refutari possit, id quod docetur exemplo Athanasii et Tertulliani, quorum uterque, quamquam multum ante Nestorium et Eutychen vixerit, accuratius disputaverit de duabus Christi naturis. Cognoscere tamen licet, num auctor aliquis sententiam suam simpliciter probare studuerit, an aliorum errorem refutans veritatem exponere voluerit. Athanasium autem et Tertullianum non disputasse contra aliorum sententiam, sed suam ipsorum latius exposuisse, facile intelligitur. Nostro autem libro refutatur rationibus allatis error haereticus [13]). Itaque necesse fuit, ut ille error eo tempore jam ortus esset, quo hic liber conscriptus est. Quum autem aliis argumentis non probent, Hippolytum esse hujus libri auctorem, relinquunt certe rem in dubio.

Alienum nobis videtur genus dicendi, quo utitur auctor hujus libri, nam difficile est intellectu, constructio est hiulca et perturbata, ita ut ne Anastasius quidem multis locis sensum tetigerit [14]); Hippolytus autem, quod jam Photius judicat, sancta simplicitate, non contorte sententias exprimit. Versatur in formulis ex sacra scriptura desumtis, quales in hoc scripto nusquam occurrunt. Atque summum est, quod nostro libro sententiae probantur philosophicis rationibus, non respectu habito sacrae scripturae; Hippolytus autem de rebus divinis disserens semper ad sacram scripturam recurrit [15]).

Quae quum ita sint, non possumus non contendere, illud fragmentum non esse partem libri adversus omnes haereses, qui ab Hippolyto conscriptus est.

11) Inter eos, qui librum refutant, sunt Martini (Versuch einer pragmatischen Geschichte des Dogma von der Gottheit Christi in den 4 ersten Jahrhunderten nach Christi Geburt. Thl. 1. S. 147. Anmerk.), Basnage l. l. p. 10 sqq.; qui defendunt Ceillier l. l. p. 347 sqq., Tillemont l. l. p. 249, Fabricius l. l. Dubii sunt Benedictini l. l. p. 382, Du Pin l. l. Tom. I. p. 112.

12) Quod ad duas ultimas attinet causas, quae proferuntur, eas omittimus, nam utraque omnino nihil probari potest. Cf. Cave l. l. Tom. I. p. 106. Oudin l. l. p. 224.

13) Cf. Sermonem quintum. — Dubium nobis videtur, num tam multi incidissent in eorum partes, qui dicuntur Patripaschiani, si illius erroris origo derivanda esset ex tam antiquo tempore.

14) Cf. Claudii Capperonnier animadvers. in Anastasii versionem apud Gallandium l. l. p. 473.

15) Cf. de Antichr. cap. 2. contra Noëtum cap. 9.

Ad eundem hunc librum referenda videntur, quae Fabricius (Vol. I. p. 235 et Vol. II. p. 45[16]) edidit, quum desumta dicantur »ἐκ τοῦ περὶ θεολογίας λόγου«. De quibus difficile quidem est dijudicare; sed quum verba »τὸ θέλειν ἔχει ὁ θεός, οὐ τὸ μὴ θέλειν« auctoris esse videantur, qui philosophiam foveat, non Hippolyto hoc fragmentum tribuimus.

Ex eodem libro desumta videntur fragmenta, quae occurrunt in doctrina Patrum de Verbi incarnatione[17]). Quae quum in ejusdem Anastasii libro, per quem fragmentum modo laudatum servatum est[18]), inveniantur, suspecta omnino videntur. Deinde auctor illorum fragmentorum utitur genere dicendi simili ei, quod adhibitum est in libello modo laudato; nam ita confuse atque obscure scripsit, ut nos certe, quid sibi vellent, intelligere omnino non possemus.

§. 46. *De Hippolyti libro contra Noëtum ejusque discipulos.*

In hoc libro disputatur contra doctrinam Noëti cujusdam Smyrnaei ejusque discipulos [1]). Quae refutatio, quum non multo post Noëti mortem [2]) eam scriptam esse magno jure conjici possit, non post annum 235 conscripta sit, necesse est [3]).

Priusquam judicemus de hoc libro, ejus argumentum praemittere placet. Noëti sententiam profert examinatque auctor cap. 1 — 8.; cap. 9 — 18. probat dogma ecclesiasticum. Docuit enim iste, Christum esse patrem, ipsumque patrem genitum et mortuum esse [4]). Ad sententiam suam probandam his utitur sacrae scripturae locis: Exod. 3, 6.; 20, 3.; Jes. 45, 5. et 14.; Baruch. 3, 36.; Rom. 9, 5.; Joh. 10, 30.; 14, 8. In quibus refutandis refert Hippolytus Jes. 45, 14. verba »ἐν σοὶ ὁ θεός ἐστι« ad Christum, in quo fuerit deus. Quod ad Baruch 3, 36. attinet, antecedentia adjungens, contendit, illo loco significari Israële dilecto Christum. Rom. 9, 5. refert ad potestatem, quam deus tradiderit Christo; adjungit, illum ipsum patrem confessum esse atque adorasse (Joh. 20, 17.). Loco Joannis 10, 30. significari non unitatem essentiae, sed similitudinem animi. Si voluisset evangelista, patrem atque filium fuisse eandem personam, ei dicendum fuisse ἕν εἰμι, non autem »ἕν ἐσμεν.« Deinde Joan. 14, 8., quo loco Christus dicit, patrem esse in se ipso, ita interpretatur, ut Christus sit imago, per quam, similem patri, hunc ipsum cognoscere liceat. Noëto refutato, dogma ecclesiasticum probare studet sacra scriptura ipsa.

Deus, quum consilium cepisset mundi creandi, solus adfuit sine coaevo. Omnia fuerunt in deo, ipse fuit omnia. Quando volebat, osten-

16) Leguntur in actis concilii Lateranensis anno 649 habiti.
17) Cf. Angelum Majum l. l. Tom. VII. p. 14 et 68.
18) Cf. eundem in praefatione. Tom. VII. p. VI.
1) De libri titulo cf. Fabric. Vol. II. p. 6.
2) Cf. cap. 1. »(Νόητος) οὐ πολλοῦ χρόνου γενόμενος«.
3) Cf. §. 6. p. 7 et 8. cf. Martini l. l. p. 143.
4) Fabula videtur esse, quod Noster contendit, Noëtum se ipsum Mosen, atque fratrem suum Aaronem putasse.

dit Verbum [5]). Per Verbum omnia sunt facta. Omnia quae facta sunt, confecit deus per Verbum et Sapientiam, creans per Verbum, ornans per Sapientiam. Qua re λόγος, qui in deo solo absconditus erat, quum praenuntiato verbo omnipotentis dei mundus creatus esset, mundo visibilis fuit. Itaque alius quidem fuit juxta deum, non vero ita, ut duo fuissent dii; sed, quomodo sol et radii, fons et fluvius duae sunt res, una vero eademque vis, eodem modo deus et λόγος se habent. Totum est pater, ejus pars filius dei [6]). — Deus unus voluntatem promulgavit per legem et prophetas, per quos loquebatur spiritus sanctus; Verbum igitur versatum est in prophetis. Omnia, quae a prophetis dicta sunt, repetiit Joannes evangelista, ut demonstraret, Christum esse Verbum, per quod mundus esset factus. Idem Verbum, quod per prophetas loquebatur, in Christo incarnatum est. Joannes, quum Verbum nominet deum, atque dicat, illud fuisse apud deum, non vult, duos esse deos, sed duas personas atque oeconomiam spiritus sancti [7]). Pater est super omnia, filius per omnia, spiritus sanctus in omnibus [8]). Deinde Joanne teste probat, se nominantem Christum υἱὸν non novum terminum afferre. Incarnatum esse Verbum probat Pauli testimonio [9]) (Rom. 8, 3.).

Denique refutat sententiam, Patrem ipsum descendisse in mundum, sed contendit, Verbum in terram venisse (cf. cap. 16.; Joann. 16, 28.). Quomodo autem genitum sit Verbum ex deo, quaerere, stultum esse Hippolyto videbatur, quum explicare non possemus, quomodo ipsi geniti essemus (cf. cap. 16.). Adjungit adhortationem, ut tenerent traditionem apostolicam.

Ultimo loco exponit, Christo fuisse duas naturas, humanam, quia siti, fami ceteris affectibus subjectus, divinam, quia ab angelis laudatus esset etc.

Qui liber vere Hippolyti esse omnibus fere videtur recentioribus scriptoribus ecclesiasticis [10]). Cave [11]) vero eum rejecit, sed non profert argumenta. Eodem modo in suspicionem induxit libellum Beausobre [12]),

---

5) Cap. 10. »ἔδειξε τὸν λόγον.«

6) Τὸ »υἱὸς τοῦ θεοῦ« non ad generationem Verbi, sed ad incarnationem refert. cf. cap. 15. »οὔτε γὰρ ἄσαρκος καὶ καθ' ἑαυτὸν ὁ λόγος, τέλειος ἦν υἱός, καίτοι τέλειος λόγος ὢν μονογενής, οὔθ' ἡ σὰρξ καθ' ἑαυτὴν δίχα τοῦ λόγου ὑποστῆναι ἐδύνατο, διὰ τὸ ἐν λόγῳ τὴν σύστασιν ἔχειν· οὕτως οὖν εἷς υἱὸς τέλειος θεοῦ ἐφανερώθη.«

7) Disputari potest, num spiritum sanctum tanquam personam sibi cogitaverit cf. cap. 14. »δύο μὲν οὐκ ἐρῶ θεούς, ἀλλ' (ἢ) ἕνα, πρόσωπα δὲ δύο, οἰκονομίαν δὲ τρίτην, τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος. Πατὴρ μὲν γὰρ εἷς, πρόσωπα δὲ δύο, ὅτι καὶ ὁ υἱός, τὸ δὲ τρίτον τὸ ἅγιον πνεῦμα.« Dubium est, num supplendum sit ad vocem »τρίτον« vox »πρόσωπον«, an sit indefinite accipiendum. Quum autem perspicuis verbis »πρόσωπα δύο« opponat verbo »τὸ τρίτον«, apparet, enm spiritum sanctum sibi non cogitasse tanquam personam.

8) Cf. cap. 14. 9) Cf. cap. 15.

10) Tillemont l. l. p. 244. Oudin l. l. p. 224. Du Pin l. l. p. 113. Ceillier l. l. p. 341. Benedictini l. l. p. 381 sqq.

11) L. l. Tom. I. p. 108.

12) Histoire critique des Manichées. Tom. I. p. 534. Quam negligenter tractaverit Beausobre librum nostrum, inde apparet, quod nescit, eundem librum in duobus diversis codicibus diverso inscriptum esse titulo. Putat enim, duos

qui contendit, Nostrum exscripsisse nonnulla ex Tertulliani scriptis. Quam sententiam repetit Semler[13]). Sed quid mirum videtur, si duo scriptores, qui eodem fere tempore tradunt eandem ecclesiasticam doctrinam, in nonnullis consentiunt? Hippolytum vero Tertulliani scripta[14]) excerpsisse, nullo modo probari potest. Alterum argumentum hoc profert Semler, quod eadem, quae leguntur cap. 18., citantur a Theodoreto (in dialog. II.), desumta scilicet ex Nostri intèrpretatione psalmi secundi. Idem fragmentum laudatur a Gelasio[15]) »ex Nostri memoria haeresium«. Quibus tribus locis comparatis videmus, a Theodoreto et a Gelasio laudata verbo tenus consentire[16]); complura vero adjuncta esse in libro contra Noëtum. In quo loco cuique sententiae, qua vel humana vel divina natura probatur, adjungitur sententia secundaria; deinde latius demonstratur Christi divina natura. Quae quum ita sint, non consentio cum viris doctis, qui putant, Gelasium excerpsisse hunc contra Noëtum locum; nam mirum me habet, quod locus eodem modo excerptus ex alio Hippolyti libro occurrit apud Theodoretum. Sed conjicio, ex alio atque eodem fonte hausisse Theodoretum et Gelasium. Obstat tamen, quod alter alterum fontem indicat, ex quo sua habeat. Attamen quum Theodoretus soleat hoc modo citare »ἐκ τοῦ λόγου τοῦ εἰς κ. τ. λ.«[17]), suspectus mihi videtur titulus ita sonans »ἐκ τῆς ἑρμηνείας τοῦ β′ ψαλμοῦ«, atque multo magis, quia vix in psalmo II. inveniri potest locus, cui haec annectere potuerit Hippolytus. Velim pro »τῆς ἑρμηνείας« legere »εἰς τὰς αἱρέσεις«. Ψαλμὸς autem vocem non ita intelligo, ut significet cantus sacrae scripturae, qui a veteribus Davidi tribuebantur, sed eam refero ad cantus, qui secundo atque sequentibus saeculis a doctis Christianis confecti in coetibus Christianis praelegebantur[18]). Itaque illa desumta videntur ex Nostri secunda inter homilias, quas confecit Hippolytus contra haereses. Ansam corrumpendi tituli praebuisse vocem ψαλμὸς verisimile est. Si verum vidimus, sequitur, ea, quae Gelasius praebeat, non desumta esse ex scripto contra Noëtum, sed ex eo libello, qui conscriptus sit contra alium haereticum, de quo in secundo sermone libri contra haereses dissertum sit. Itaque quum discrimen insit tribus illis locis non parvum, consentire non possumus cum Semlero, qui locum contra Noëtum lectum plagium nominat. Argumenta igitur, quae prolata sunt ab iis, qui rejecerunt hunc librum, refutasse nobis videmur. — Martini[19]) putat, hunc librum, etiamsi non sit confectus ab Hippolyto, conscriptum tamen esse eo tempore, quo ille vixerit. Atque sane confectus est liber

esse libros homiliam contra haeresin Noëti et homiliam de deo uno et trino contra haeresin Noëti.

13) S. J. Baumgarten Untersuchung theologischer Streitigkeiten herausgegeben von Semler. Vorrede S. 234. Note 232.

14) Cf. librum adversus Praxeam. 15) L. l.

16) In fine apud Theodoretum ante verba »καὶ ἐξουσίαν δίδωσι μαθηταῖς« adjuncta sunt verba »καὶ ἁμαρτίας ἀφίησι«.

17) Cf. Quae ex Theodoreto profert Fabricius Vol. I. p. 267 sqq.

18) Id quod factum esse, testantur Plinius junior (epist. ad Trajanum), Cajus Presbyter et Patres Laodicenses (can. 59.). cf. Stephanum l. l. Vol. II. p. 1089, Quo loco quoque docetur, illos cantus nominatos esse »ψαλμοί«.

19) L. l. p. 146.

ante concilium Nicaenum. Nam non occurrit in eo vox ὁμοούσιος; si post illud conscriptus fuisset, haereticus putatus fuisset auctor, qui non contendisset unitatem essentiae in Patre et in Filio [20]). Praeterea spiritus sanctus cogitatur non tanquam persona [21]). Atque adsunt, quae probent, illum libellum esse partem Hippolyti libri contra haereses. Ex initio libelli [22]) elucet, auctorem antea contra alias haereses scripsisse. Ex iis, quae in fine cap. 8. leguntur, concludere licet, hoc fragmentum fuisse conclusionem totius libri adversus haereses [23]); id quod retulit Photius de Nostri adversus haereses libri indole. Auctor hujus libelli refert Apocalypsin ad Joannem evangelistam [24]), id quod Nostro proprium fuit. Cap. 11. in fine et 12. contenditur, in prophetis fuisse Verbum, quo Verbum se ipsum praedicasset hominibus. Similia leguntur de Antichr. cap. 4. — Cap. 9. exponit, se non suam prolaturum esse sententiam, sed quae sacra scriptura doceantur, cf. de Antichr. cap. 2. — Sententiae simplici atque perspicuo sermone proferuntur; versatur auctor in elocutionibus, quae colorem sacrae scripturae prae se ferunt.

Itaque non dubitamus, quin hoc fragmentum vere sit conclusio scripti adversus omnes haereses, quod Hippolyti est.

§. 47. *De Hippolyti homiliis.*

In laterculo marmoreo citantur »*ᾠδαὶ εἰς πάσας γραφάς*«, quem vere titulum dubium esse, supra (§. 13.) probavimus. Homiliae, quae sub Hippolyti nomine laudantur, partes esse videntur libri adversus omnes haereses; nam fragmenta, quae ex illo libro exstant, homiliae speciem prae se ferunt [1]), deinde videmus, in fragmentis, quae ex homiliis Nostri laudentur, eum disputare contra haereses [2]). Accedit, quod Hieronymus meminit unius tantum homiliae, quam Hippolytus Origene praesente habuerit.

Eorum libellorum, qui sub titulo homiliarum laudantur, unus tantum totus servatus est. Qui est sermo in sanctam theophaniam [3]).

Omnia dei opera bona et pulchra sunt, sed pulcherrimum id est, quod deus misit Christum in mundum ad salvandos homines. Agit Hippolytus praecipue de Jesu ab Joanne baptizato. Postquam retulit, Jesum ab Joanne invito baptizatum esse (cap. 3. et 4.), laudat beneficia, quorum per Christum participes sumus. Per hunc patefactum coelum,

---

20) Cf. p. 43. 21) Cf. not. 7.

22) *Ἕτεροί τινες ἑτέραν διδασκαλίαν παρεισάγουσιν.*

23) *Ἐπειδὴ οὖν ἤδη καὶ ὁ Νόητος ἀνατέτραπται, ἔλθωμεν ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἀπόδειξιν, ἵνα συστήσωμεν τὴν ἀλήθειαν. Καθ᾽ ἧς πᾶσαι τοσαῦται αἱρέσεις γεγένηνται μηδὲν δυνάμεναι εἰπεῖν.* Cf. not. ad hunc locum apud Fabricium.

24) Cf. cap. 15.

1) Cf. contra Noëtum cap. 1.: »*ὁρᾶτε, ὅσον ἔπαρμα καρδίας . . . ὑπεισῆλθεν εἰς αὐτόν*«. Cap. 4.: »*ἴδωμεν, ὡς εἶπον τὴν αὐτοῦ ἀνατροπήν*«.

2) Cf. fragmentum ex Hipp. »*λόγου τοῦ εἰς τὴν τῶν ταλάντων διανομήν*« (apud Fabricium Vol. I. p. 281): *ἐκεῖνοι, ἤτοι ψιλὸν ἄνθρωπον ὁμολογοῦσι πεφυκέναι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν βίον, τῆς θεότητος αὐτοῦ τὸ τάλαντον ἀρνούμενοι.*

3) Apud Fabric. Vol. I. p. 261.

reconciliata esse visibilia cum invisibilibus etc. Per columbam, in qua descenderit spiritus sanctus, sicuti factum sit in arca Noë, significatum esse amorem dei. Verba vero »hic est filius meus dilectus« ita interpretatur »hic est, qui Josephi nominatus est filius, sed meus est unigenitus secundum divinam naturam.« Tum profert, quos labores amore in homines commotus Jesus sustinuerit. Adjungit adhortationem, ut baptizari se sinat coetus aqua atque spiritu sancto, ut eodem, quo Christus, modo fruantur vita aeterna. Itaque haec oratio festo baptismi Christi procul dubio habita est [4]).

Videmus, auctorem diligenter atque accurate in sacrae scripturae libros incubuisse; nam versatur quam maxime in elocutionibus scriptorum sacrorum, atque ex iis apte citat multos locos. Itaque simillimus videtur auctor Hippolyti, qui eodem modo loqui amat. Deinde autem mentionem facit duarum Christi naturarum [5]), de qua materia, quotiescunque poterat, Noster disseruit. Quum vero non insint huic homiliae aliena a Nostri indole, non videmus, cur non adscribamus eam Hippolyto.

Sunt [6]) qui putent, Hippolytum hanc habuisse homiliam Origene praesente; sed 1) alius est titulus ejus, quam Nostrum habuisse coram illo refert Hieronymus [7]), 2) in hac non fit mentio Origenis, quem allocutus esse dicitur.

Praeterea fragmenta laudantur haec:

1) Ἐκ τῆς εἰς τὸ πάσχα ἐξηγήσεως (desumtum est ex actis concilii Lateranensis anno 649 habiti. cf. apud Fabricium Vol. II. p. 145).

2) Ἐκ τοῦ λόγου τοῦ εἰς τὴν τῶν ταλάντων διανομήν (ex Theodoreti dialogo secundo edit. Lequiana p. 88. cf. apud Fabric. Vol. I. p. 281).

3) Ἐκ τοῦ λόγου εἰς τοὺς δύο λῃστάς (ex Theodoreti dialogo tertio p. 455. apud Fabr. ibidem).

Quae cur genuina non habeamus, non videmus.

§. 48. *Contra Marcionem.*

Praeter illum tractatum contra omnes haereses singularem contra Marcionem librum scripsisse Hippolytum, testantur Eusebius atque Hieronymus. Nonnulli viri docti [1]) putant, conjungenda esse apud Hieronymum verba »adversus Marcionem« et »de resurrectione«, ita ut in libro de resurrectione refutaverit Marcionem. Sed offendit me, quod Anastasius Sinaïta [2]), qui servavit fragmentum illius scripti, in titulo non me-

4) Concludam igitur, hanc orationem in Orientalibus terris habitam esse.

5) Cf. cap. 7.: οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ Ἰωσὴφ ὀνομαζόμενος υἱὸς καὶ ἐμὸς μονογενὴς κατὰ τὴν θεϊκὴν οὐσίαν.

6) Benedictini l. l. p. 370.

7) Hieron. illi homiliae hunc titulum dat »προσομιλίαν de laude Domini Salvatoris«; nostra vero inscripta est »λόγος εἰς τὰ ἅγια θεοφάνεια«.

1) Cf. Fabric. Vol. I. p. 224.

2) Cf. §. 51. Titulus fragmenti est: Ἱππολύτου . . . . . . ἐκ τοῦ περὶ ἀναστάσεως καὶ ἀφθαρσίας λόγος. Fragmentum ipsum est tam exiguum, ut ex eo non liceat cognoscere libri indolem.

minit Marcionis. Theodoretus [3]) refert, Hippolytum Marcionem refutasse, non autem possumus ex eo intelligere, num illam refutationem legerit in libro contra omnes haereses, an in singulari libello. Nicephorus [4]) et Syncellus [5]), qui librum de resurrectione non memorant, tradunt, Hippolytum scripsisse »πρὸς Μαρκίωνα καὶ τὰς λοιπὰς αἱρέσεις«. Tillemont [6]) conjicit, illum librum dici ab Eusebio et Hieronymo, qui in laterculo marmoreo significetur hoc titulo »περὶ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ πόθεν τὸ κακὸν«, sed firmare conjecturam suam non studet.

Quum autem verisimile sit, Nostrum in libro contra omnes haereses refutasse etiam Marcionem, offendit sane quemque, quod de eadem materia diversi libri conscripti dicuntur. Itaque novam conjecturam proferamus. Respicientes Eusebii locum invenimus titulum libri adversus Marcionem innexum titulis commentariorum, quos in sacram scripturam scripsit Hippolytus. Itaque locum esse corruptum suspicor; nam cur librum adversus Marcionem non laudaverit eo loco, quo sermo fit de libro adversus omnes haereses, intelligi nequit. Quam difficultatem ita solvere velim, ut deleta interpunctione ante verba »πρὸς Μαρκίωνα« in unum conjungam titulos »εἰς τὰ μετὰ τὴν ἑξαήμερον« et »πρὸς Μαρκίωνα«. Quam quidem conjecturam veritatem assequi, hoc quoque probat, quod Hippolytum in illo commentario disputasse contra Gnosticos quosdam vidimus (cf. §. 19.) [7]).

§. 49. *Adversus Graecos.*

Contra Graecos Hippolytum scripsisse confirmatur catalogo in statua designato [1]). In quo libro primo describitur orcus, tum sermo fit de corporum in vitam reditu. Totus orcus obtegitur tenebris; idem omnibus est descensus ad inferos. Portam orci transgressi justi altera, altera via injusti deducuntur. Illi eunt voluntarii angelis comitantibus ad splendidissimum locum, ubi gaudent contemplatione dei; hos autem propulsant angeli mali ad inferiora, ubi vehementer anguntur. In quo orco retinentur omnes animae usque ad diem judicii ultimi, quo quaeque anima vestietur eodem corpore, quod illi fuit in priori vita.

Quum non inveniamus in libro nostro, quae aliena videantur a Nostri ingenio, sed quum insint aliqua, quae bene quadrent in Nostrum (e. c. quod profert sententiam, in regno coelesti non inveniri errores

---

3) Haeretic. fabul. lib. I. cap. 25. 4) Hist. ecclesiast. IV, 31.
5) Chrongraph. p. 358. 6) L. l. p. 244.
7) Quum verisimile sit, Marcionem, etiamsi non censuerit, tria hominum genera esse creata, putasse tamen, quia opinatus sit tres esse deos, tres esse classes hominum, haud inepte aliquis conjiciat, Hipp. in commentario in ea, quae post Hexaëmeron, disputasse contra Marcionem. Cf. Marcion's Glaubenssystem, aus dem Armenischen übersetat von Neumann in Illgen's Zeitschrift für die historische Theologie. Bd. 4. Stück 1. S. 72.
1) Codex, ex quo hoc fragmentum edidit primus Hoeschelius, prae se fert hunc titulum νὲκ τοῦ πρὸς Ἕλληνας λόγου τοῦ ἐπιγεγραμμένου κατὰ Πλάτωνα, περὶ τῆς τοῦ Παντὸς αἰτίας. Cf. Stephan. Tom. I. p. 53. Tom. II. p. 930. apud Fabric. Vol. I. p. 220.

astronomorum), putamus libellum hunc compositum esse ab Hippolyto [2]). Titulum tamen, qui libello inscriptus est, non probamus. Apparet enim [3]), hoc scriptum fuisse homiliam, quam habuerit coram gentibus, ut ad Christum se verterint. Si autem fuit homilia, quomodo auctor Christianus in titulo laudavisset Platonem paganum? Porro in hoc scripto non in universum disputat contra Platonem, sed modo adversus hanc illius sententiam, animas esse factas atque immortales a deo conditas. Quia illo loco Platonis mentionem facit, fieri potuit, ut posteri libro nostro adderent titulum »πρὸς Πλατῶνα«.

§. 50. *Adversus Judaeos.*

Cujus scripti nemo veterum meminit [1]). Hoc libello Judaeos, ut se converterent ad Christum, commovere studuit, probans V. T. locis [2]) Jesum esse Messiam, qui iis promissus esset. Allegorico modo refert locos laudatos ad Christum.

Sunt qui putent [3]), hanc demonstrationem contra Judaeos esse particulam commentarii a Nostro in psalmos conscripti, quum illa tota sit paraphrasis psalmi 69. Sed Hippolytus paucos modo versus illius psalmi exponit; deinde si psalmum illum explicare sibi proposuisset, quid sibi vellent, quae cap. 9. et 10. ex Sapientiae libro prolata sunt, quum illa capita illi psalmo latius explicando inservire nequirent? Sed si homilia fuit noster liber, pulchre locum tenet, quod mentio fit judicii ultimi, quo Judaei damnentur. Denique cur interpretans singulos psalmos ex serie (cf. §. 24.) huic singulari psalmo tam longum praemisit prooemium quadrans in multos alios psalmos? Postremo (quod summum est) ipse hoc sibi proposuit, ut convinceret Judaeos, Christo interficiendo ipsos sibi parasse magnam calamitatem miseriamque [4]).

Quaestio autem, num vere sit auctor illius scripti Hippolytus, difficilis est. Sententiae tamen in eo prolatae bene quadrant in Nostri ingenium atque cogitandi rationem. Versatur in formulis sacrae scripturae; nec non adsunt elocutiones, quae propriae Nostro videntur, e. c. dicit cap. 6., Judaeos eam viam reliquisse, quae dixerit »ἐγώ εἰμι ἡ ὁδός« [5]).

§. 51. *De Resurrectione.*

Cujus libri testes sunt Hieronymus, alii atque laterculus marmo-

2) Cf. Stephan. l. l. Tom. II. p. 1122.
3) Cf. in fine »τούτοις οἱ πεισθέντες τοῖς λόγοις ἄνθρωποι, ἔσεσθε καὶ τῶν δικαίων κοινωνοὶ κ. τ. λ.«

1) Cf. Fabric. Vol. I. p. 216. Vol. II. p. 2.
2) Psalm. 69. Sapient. 2, 1 et 12 sqq.
3) Cf. Fabricium l. l. not.
4) Cf. cap. 1. »δεῦρο οὖν νυνὶ ἐπακρόασαί μου καὶ μήπως ἀδίκως, πειράζεις ὁ Ἰσραήλ, ... μήπως δὲ αὐτοῦ ἐν τοῖς κυρίοις τούτοις ὑπάρχεις δεινοῖς«.
5) Cf. de Antichr. cap. 10. »αὐτὸς γάρ ἦν ἡ ἄμπελος«, in Danielem (apud Simonem cap. 44.).

reus [1]). Ex eo fragmentum servavit Anastasius Sinaïta [2]). In quo docetur, homines redivivos non peccaturos esse, ipsosque futuros esse immortales atque eadem natura praeditos, qua angelos. Quum Hippolytum de hac materia disseruisse gravibus argumentis confirmetur, non videmus, cur non putemus, hoc fragmentum desumtum esse ex vero Hippolyti libro.

§. 52. *Προτρεπτικὸς πρὸς Σεβηρεῖναν.*

Qui titulus legitur in lemmate librorum laterculi marmorei. Servavit autem Theodoretus [1]) duo fragmenta ex epistola, quam Nostro tribuit, ad reginam quandam [2]). Bene alterum quadrat in alterum, atque videntur arcte conjuncta fuisse. In quibus exponit, Christianis, quum Christus a Paulo nominatus sit »*ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων*«, esse spem, se in vitam redituros esse. Putantes igitur, illa fragmenta eundem habere auctorem, non videmus, cur ea non adscribamus ei, cui tribuerit Theodoretus. Accedit, quod in his contenditur, homines eodem corpore, quo in vita priori induti fuerint, praeditos in vitam redituros esse [3]), quam sententiam Nostrum fovisse supra vidimus [4]). Quum in his quaedam certe capita doctrinae Christianae exponantur, atque finis ejus scripti, quod illo titulo in laterculo marmoreo significatur, hic fuisse videatur, ut regina quaedam transeat ad partes Christianas, conjicere licet, illa fragmenta esse partem epistolae in statua laudatae. Itaque concludimus, Severinam illam, ad quam missa fuerit haec epistola, fuisse reginam. Sed quaeritur, quaenam illa fuerit. Quum non occurrat nomen Severina in serie Augustarum vel imperatricium, quae initio saeculi tertii vixerunt [5]), putat Stephanus, hic esse locum faciendae conjecturae. Suadet igitur, ut legamus »*πρὸς ΣΕΒΗΡΑΝ ΑΓ*«, quod significet »Severa Augusta«. Quae quidem sagacissima atque, si respicis ad externam litterarum formam, probabilissima est conjectura. Offendit tamen, quod in inscriptione Graecis litteris excusa invenitur latina vox »Augusta«; nam in omnibus fere nummis, qui Graece inscripti sunt, regia dignitas significatur voce »*Σεβαστός*«. Occurrit quidem in nummis Graece inscriptis verbum »*Αὔγουστος*« [6]), quod vero insolentius est. Etiamsi igitur probare non possimus, non legendum esse »*ΣΕΒΗΡΑΝ ΑΓ*«, dubia tamen videtur conjectura, quia tum ponendum esset, sculptorem morem vulgarem insolenter reliquisse. Sed si vera esset, consentiremus Stephano, qui latius ostendit, illam non esse Juliam Domnam, Severi

1) Cf. Fabric. Vol. I, p. 244.
2) In Hodego p. 356. apud Fabric. l. l.
1) Cf. dialog. II. p. 88. dial. III. p. 155. apud Fabric. Vol. I. p. 92.
2) Titulus fragmentorum est: »*Ἱππ. ἐκ τῆς πρὸς βασιλίδα τινὰ ἐπιστολῆς*«.
3) Cf. Fragmentum prius. 4) Cf. §. 49.
5) Severina quaedam, uxor Aureliani imperatoris, nominatur, sed Hippolytum, quum Alexandro imperatore floreret, non verisimile est, aetate progressum esse usque ad Aurelium imperatorem.
6) Cf. Jean Tristan l. l. Vol. II. p. 413.

uxorem, quippe quae cum sophistis egisse dicatur [7]), atque quia constet, illius maritum persecutum esse Christianos [8]), sed Severam, Philippi Arabis uxorem [9]).

Dubii igitur in aliam incidimus sententiam, quam proferre conamur. Severinae vocem derivatam esse a Severi nomine, in oculis versatur. Severina igitur femina significat feminam, quae conjuncta fuit cum Severi familia, non autem eam, quae orta fuit ex illa, nam ea nominaretur Severa. Quare illam in statua designatam putamus fuisse mulierem, quae cognata fuit imperatori alicui, qui oriundus fuerit ex familia Severa. Verisimile autem est, M. Aurelium Alexandrum assumsisse nomen Severi, ut haberetur filius Caracallae, qui fuit ex familia Severa [10]). Id quod eo verisimilius est, quia Heliogabalus Caesar Aurelio illi dedit nomen Alexandri [11]) pro nomine Bassiani, ex cujus familia Marcus Aurelius Severus Alexander ortus fuit [12]). Itaque ex familia Severa ortus videbatur Alexander; ex ejusdem autem familia esse illius matrem, dici non potuit, quia ille adoptatus modo fuit in familiam Severam. Quia ejus mater Julia Mammaea cognata fuit Alexandro, non video, cur non nominata fuerit Severina hoc sensu, ut sit mulier cognata Alexandro.

Juliam autem Mammaeam Christianos fovisse atque familiaritate conjunctam fuisse cum Origene, satis constat [13]). Sed quaeritur, cur sculptor eam non nominaverit vero nomine. Quod difficile quidem solutu! Haec vero fortasse non sine veritatis specie nostra pro sententia afferantur. Quum enim derivatum videatur nomen Mammaeae a voce »Mammonis«, qui fuit deus divitiarum, fieri potuit, ut posteriores Christiani, magni aestimantes Juliam Mammaeam alio modo eam significare mallent [14]). Accedit, quod Alexander magni aestimabatur a Christianis, ita ut Juliae Mammaeae cognomine dato Severinae honor quidam tributus videretur.

Appendix I.

De libris nonnullis, qui non jure Hippolyto adscripti sunt.

---

§. 53. *De charismatibus atque traditione apostolica.*

Nostrum de illa materia scripsisse, nullo, nisi laterculo marmoreo [1]), vetere testimonio probatur. Illo testimonio commoti concluserant non-

---

7) Cf. Eckhel l. l. p. 194. 8) Euseb. VI, 1.
9) Quocum consentit Neander l. l. p. 1151.
10) Cf. Eckhel l. l. p. 281.
11) Eckhel l. l. p. 268.
12) Ibidem p. 244. Tristan l. l. p. 383. 13) Cf. §. 59.
14) Cf. Tristan l. l. p. 424.
1) Apud Fabric. Vol. I. p. 244 sqq.

nulli viri docti, ea, quae in libro VIII. constitutionum apostolicarum leguntur ita inscripta »διδασκαλία τῶν ἁγίων ἀποστόλων περὶ χαρισμάτων« et »διατάξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων«, fortasse ex Hippolyti scriptis desumta esse. Quum vero tam infirmo testimonio illa probentur, atque codices Hippolyti nomen non prae se ferant, non audemus putare, illa esse a Nostro conscripta, eo minus, quo magis suspicari liceat, quomodo orta sit illa opinio. Refertur enim ab Eusebio [2]), Dionysium episcopum Alexandrinum Romam misisse »ἐπιστολὴν διακονικὴν διὰ Ἱππολύτου«. Verba »διὰ Ἱππολύτου«, quae significant eum, qui nuntius epistolam illam Romam ferebat, relata videntur ad auctorem libri [3]). Quae quum ita sint, destituti firmis testimoniis horum librorum auctorem putamus, non Hippolytum nostrum [4]). Num autem alium de charismatibus conscripserit librum, omnino dijudicari non potest.

§. 54. *De duodecim apostolis, ubinam quisque eorum praedicaverit, et ubi consummatus sit; et de LXX. apostolis.*

Utrumque libellum eidem auctori titulo tributum exstare in codicibus duobus bibliothecae Coislinianae, testatur Montfauconus [1]). Combefisius, qui priorem libellum edidit, ipse refert, nullo vetere testimonio illius auctorem probari Hippolytum. Stephanus quidem putat, illum significari in laterculo marmoreo verbis »ἀποστολικὴ παράδοσις«, nos autem putare, illum titulum esse referendum ad alium librum, in §. antecedenti exposuimus. Quum Stephanus ipse non audeat, hunc librum Hippolyto nostro adscribere, eum hujus libri auctorem omnino non censemus [2]). Accedit, quod tertio saeculo nondum nota fuit Narsinga et ora Coromandel [3]), in qua urbe Thomam apostolum sepultum esse tradidit libelli auctor; praeterea versatur in enarrandis rebus omnino falsis.

In altero libro eadem fere traduntur, quae in synopsi illa, quae false tribuitur Dorotheo Tyrio, ita ut idem sit habendus liber. Quum a nemine veterum tribuatur talis liber Hippolyto nostro, patet, ad eum non esse referendum hunc librum [4]).

---

2) VI, 46.

3) Non est, cur putemus hunc Hippolytum, qui non nominetur episcopus, esse eundem, de quo jam dicimus.

4) Neander (l. l. p. 1150) videtur illos libros Nostro tribuere, sed ipse non affert argumenta sententiae suae. cf. Stephan. l. l. Tom. II. p. 1030 sqq. cf. Semler selecta capit. hist. ecclesiast. pars I. p. 73.

1) In recensione MS. Graecorum biblioth. Coislin. Cf. Fabric. Vol. I. append. p. 30 et 41.

2) Cf. Gieseler l. l. p. 81. not. h. Georgius Cedrenus (in compendio histor. p. 263) laudat nonnulla ex Hipp. libro de praeconio divinoque obitu apostolorum, quae non consentiant cum iis, quae in hoc libro leguntur de Joanne evangelista. Idem de Joanne refert Michael Glycas (annal. pars III. p. 239), quod ab Hipp. traditum esse contendit. Si igitur hic ex Hipp. nostri libro vere hauserit ea, quae laudat, apparet, hunc certe librum non esse ab illo conscriptum. Cf. Lücke Comment. zum Johannes. 2e Aufl. Thl. 1. S. 120.

3) Stephanus pro »Καλαμήνῃ« conjecit »Καρομανδίᾳ«, sed difficile videtur, hoc modo commutatas esse litteras. Cf. l. l. Tom. II. p. 1058.

4) Nicephorus Callistus (histor. eccles. lib. II. cap. 3.) citat nonnulla ex Hipp.

§. 55. *Narratio de virgine Corinthiaca et de quodam Magistriano.*

In illo libro narratur, virginem quandam nobilissimam et formosissimam Christianam, quae honeste Corinthi vixerit, tempore persecutionum vocatam esse in judicium, quia maledixisset imperatoribus et simulacris, ab judice autem quodam libidine in eam accenso servatam esse. Quam, quum ejus libidines satiare recusasset, captivam retentam a Magistriano quodam esse liberatam. Re cognita illum morte afflictum duplicem sibi parasse martyris coronam.

Quam historiam tradidit Palladius [1]). Quod ad libri indolem attinet, in eo non invenimus argumenta, quibus nobis paretur firmum judicium. Quia autem Palladius Hippolyto non tribuit dignitatem episcopi, sed eum nominat »γνώριμον τῶν ἀποστόλων«, non video, cur, quum tot Hippolyti historia laudentur, hujus libelli auctorem Nostrum habeam.

Appendix II.

De nonnullis libris Hippolyto adscriptis, qui hodie non leguntur.

§. 56.

1) Hieronymus (in epistola 71 ad Lucinium) tradit, Hippolytum scripsisse de Sabbato, utrum jejunandum sit, et de eucharistia, num accipienda quotidie.

2) Idem (in catalogo) testatur, Hippolytum Origene praesente orationem habuisse in laudem Salvatoris.

3) Joannes Antiochensis (apud Euseb. Renaudot. in histor. Patriarch. Alex. p. 359 sqq.) nonnulla laudat ex Hippolyti epistola quadam ad Denym episcopum Cypriae, quam non Nostro esse adscribendam inde patet, quod in eo contenditur, in Christo post incarnationem unam tantum fuisse naturam [1]).

4) In bibliotheca Bodlejana inter codices Orientales R. Huntingtoni exstat MS. Nro. 5793 explanatio Apocalypseos ex Severo, Hippolyto, aliis [2]). Praeterea codex aliquis, qui Parisiis in bibliotheca regia habe-

---

libro de genealogia Josephi ejusque familia (cf. Tillemont l. l. p. 678). Cujus libri auctorem esse Hippolytum Thebanum, docet Canisius (oper. Tom. III. p. 35. 46. 49). Possevinus (apparat. p. 765), qui ejusdem libri meminit, probat, ex eo esse desumtum librum hoc titulo laudatum »de ortu et familia sanctae virginis.«

1) In histor. Lausiaca cap. 148. in de la Barre hist. eccles. veterum patrum. Paris 1683. fol. 87. J. apud Fabric. Vol. I. p. 283 et 84.

1) . . ., neque distinctio ulla inter Verbum et corpus hominis occurrit in divinis scripturis, sed ipse est natura una, persona una, suppositum unum, operatio una; Verbum deus, Verbum homo, quemadmodum erat. Cf. Ceillier l. l. p. 359.

2) Cf. Fabric. biblioth. Graec. edit. Harles Vol. VII. p. 194.

tur [3]), continet commentarium in apocalypsin arabica lingua conscriptum, in quo Hippolyti sententiae de nonnullis Apocalypseos locis laudantur. Sixtus Senensis (bibl. S. lib. IV. p. 311) meminit quoque commentarii alicujus, quem Hippolyto derogant viri docti [4]). Quum codices illi mihi non in promptu sint, dijudicare nequeo, quomodo se invicem habeant, atque num quisque an quis ab Hippolyto vere conscripta contineat. Si vero Hippolytus commentarium in apocalypsin vere conscripserit, equidem, respectu habito ad titulum in catalogo apud Hieronymum lecto (» de Apocalypsi «) et ad eum, qui in statua designatus est (» ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως «), conjiciam, Nostrum in praefatione ad commentarium, Apocalypsin esse conscriptam ab Joanne apostolo, hac re probasse, quod hunc librum cum evangelio ejusdem apostoli comparaverit.

5) Canonum ecclesiasticorum XXXVIII. capita, quae sub Abulidis sive Hippolyti nomine habent Aethiopes, primus edidit Wanslebius [5]). Eadem servata sunt codice quodam Arabica lingua conscripto [6]). De quibus, quum tituli tantum servati sint, judicare omnino non possumus.

6) In codice Arabico MS. laudantur nonnulla ex Hippolyti libro de Antichristo, de statu hominum post eorum mortem, de resurrectione mortuorum, de paradiso et de inferno [7]). Quum de materiis in codice laudatis Hippolytum scripsisse constet, non caret omni verisimilitudine, illa esse desumta ex ejus genuinis libris.

7) In codice Arabico MS. referuntur nonnulla ex libro confessionis Patrum apostolicorum, eorumque successorum, de fide in sanctam trinitatem et incarnationem Verbi. Inter Patres, qui laudantur, occurrit nomen Hippolyti [8]).

---

3) Cf. catalogum librorum manusc. bibl. reg. Par. Tom. I. p. 102. nro. XXIII. 2. cf. Abhandlungen zur orientalischen und biblischen Litteratur von Ewald. Gött. 1832. I. Thl. p. 1 sqq.
4) Cf. Ceillier l. l. p. 361. Benedictinos l. l. p. 394. Tillemont l. l. p. 678.
5) Cf. Fabric. bibl. Gr. Vol. VII. p. 193.
6) Cf. Angelum Majum l. l. Tom. IV. p. 277.
7) Cf. ibidem. p. 212. 8) Cf. ibidem p. 244.

Pars III.

De dignitate, quae Hippolyto theologo attribuenda sit.

§. 57. *Prooemium.*

Itinere absoluto longo quidem atque aspero, amoeno tamen ac pulchro, retro respiciamus ad regionem perlustratam.

Ut discrevimus tria Hippolyti scriptorum genera, chronologica, exegetica, dogmatica apologeticaque: ita quum, qualem vim exercuerit in excolendam theologiam, indicaturi simus, virum ut chronologum, ut sacrae scripturae interpretem, ut apologeticum consideremus necesse est.

§. 58. *Qualem vim habuerit Hippolytus ut chronologus.*

Hippolytum fuisse artis computandi peritissimum, satis confirmatur tum ejus canone paschali, tum eo, quod in statua designatum est, quo cycli ejus anno quodque festum paschale, cujus in vetere foedere mentio fit, egerint Judaei [1]). Idem quoque inde apparet, quod in commentario ad Danielem accurate constituit tempus, quod propheta oraculis suis indicaverit, atque inde, quod mundi finem computare non omisit [2]). — Nec non arte astronomica imbutus fuit. Vidimus quidem [3]), quam vitiose ejus canon compositus esset, sed reputandum est, eum primum fuisse, qui cyclo aliquo festi paschalis tempus constituerit. Qui igitur disputationis de festo paschali historiam ex ordine dividere studet, novum temporis spatium ab Hippolyto incipere debet. Dum enim ante Hippolytum atque ejus aetate inter Christianos, qui ex Judaeis, atque eos, qui ex paganis oriundi erant, disputabatur, num et quando agnus paschalis edendus esset, incepit post eum certamen de rationibus, ex quibus constituendi essent termini paschales, atque quomodo instituendus esset cyclus. Itaque haud recte dicitur Hippolytus constituisse canonem suum ex rationibus Latinis, sed vice versa contendendum est, Latinos postea accepisse methodum Hippolytanam. Latini, quamquam sensim reliquerunt illius methodum, nonnulla tamen ejus principia diu retinuerunt. Satis enim constat, Latinos in saeculo quinto medio voluisse, festum paschale non differri ultra diem 21 mensis Aprilis [4]), quem terminum constituerat ultimum Hippolytus [5]). Si Romani Alexandrinam secuti essent methodum, ex qua ultimum paschalis festi terminum differre licebat usque ad diem 25 mensis Aprilis [6]): non licuisset iis annis, quibus pascha agen-

1) Cf. §. 17. 2) Cf. §. 33. 3) Cf. §. 16.
4) Cf. Ideler l. l. p. 221. 5) Cf. ibidem p. 266. cf. §. 16.
6) Ibidem p. 233 sqq.

dum fuisset post diem 21 mensis laudati', instituere ludos Circenses, quippe qui incidissent in hebdomadem Christo mortuo sacram [7]). Itaque Latini, ut auctoritate gravi sententiam suam fulcirent, eo perducti videntur, ut statuam collocarent Hippolyto veterrimo celeberrimo [8]).

§. 59. *Qualem vim habuerit Hippolytus ut interpres sacrae scripturae.*

Primus, qui, quantum videmus, perpetuos in sacra scripta composuit commentarios, fuit Hippolytus. Quaerere licet, cur priores etiam, qui Patrum apostolicorum nomine gaudent, Justinus Martyr, Theophilus, Tatianus, reliqui, quorum erga scripta apostolica reverentia haud dubie non minor habenda est, tali cura supersederint. At responsio in aprico posita est. Duobus enim prioribus post Christum saeculis sancta cum simplicitate legebant sacra scripta Christiani, toti vi Christianae doctrinae capiebantur, ita ut eam dialectica arte non adhibita immediate agnoscerent voluntatem divinam, atque Christum unigenitum dei filium. Sed ut quaeque sententia, quae in hominum animam incidit, animum ipsum incitat, ut ipse clarius lucidiusque intelligere studeat ea, quae sentiat: ita necesse erat, ut animus enuclearet arcanum divinum, ut conderet scientiam, quae ageret de religione. Contendere vero sine dubio possumus, scripturae sacrae interpretationem, quae non solum ad excolendum fide Christiana animum inserviat, sed quae libros commentariis perpetuis illustret, tunc demum incepisse, postquam arctiorem cum scientia societatem iniisset religio Christiana. Ejusque rei primum exemplum invenimus in nostro Hippolyto, qui difficultates tenebrasque, quibus scatere et amicis et inimicis gentilibus videri poterant libri sacri, removere ac dispellere conatus est. Quaerenda vero videtur singularis causa, qua Hippolytus commotus sit ad perpetuos commentarios conscribendos. Habemus de ea re ipsius Hippolyti dilucidum testimonium, diserte fatentis, se in Danielis prophetias commentarium confecisse, quo accurate constitueret tempus Babylonicae captivitatis [1]). Quum autem constet, eum omnino floruisse arte computandi, sane cogitari potest, eum studio temporum constituendorum commotum esse ad peculiares commentarios conficiendos. Quae sententia eo quoque confirmatur, quod in interpretandis sacris scriptis semper redit ad historiam. Ita e. c. in pronuntiato Jeremiae 25, 10., quod ita reddiderunt LXX. »ἑβδομήκοντα ἔτη ἔρημον ἔσται τὸ ἁγίασμα ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας . . . . . ., καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιστρέψει ὁ λαὸς . . . ., Χριστοῦ ἡγουμένου αὐτῶν«, retulit verbum »Χριστοῦ« non ad Jesum Christum, sed ad Jesum filium Josedec, quo duce redierunt Judaei in Palaestinam [2]).

Jam nobis disserendum est de Hippolyti interpretandae sacrae scri-

---

7) Prosper in chronico p. 53, apud Idelerum l. l. p. 282.
8) Cf. §. 2.
1) Apud Fabricium Vol. I. p. 278 »τὴν ἀκρίβειαν τῶν χρόνων τῆς γεγενημένης αἰχμαλωσίας τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ ἐν Βαβυλῶνι ἐπιδείξασθαι βουλόμενος, καὶ τὰς τοῦ μακαρίου Δανιὴλ τῶν ὁραμάτων προφητείας· τήν τούτου ἐν Βαβυλῶνι ἐκ παιδὸς ἀναστροφὴν πρόσειμι καὶ αὐτὸς μαρτυρήσων (τῷ Δανιὴλ)« κ. τ. λ.
2) Cf. apud Simonem cap. 13 et 14.

pturae ratione. Quae, prae se ferens signum temporis, fuit allegorica; in interpretatione ipsa utitur imagine [3]). In qua eum coercitum esse, quominus in protervos allegoriae lusus interpretationisque typicae salebras abiret, studio chronologiae atque historiae, modo probavimus; eum autem arte grammatica imbutum fuisse, ex scriptis quae supersunt non elucet. Videtur tamen criticis rationibus lectiones comparasse atque correxisse. Secutus est τοὺς Ο' [4]), eum vero respexisse Hebraicum quoque textum inde apparet, quod Geneseos 1, 7. legit » καὶ ἐγένετο οὕτως «, quae verba non habent οἱ Ο'. Deinde ei non ignotam fuisse recensionem Theodotionis atque Symmachi, in oculis versatur, quum illorum recensionem Geneseos 3, 8. praemiserit explicationi hujus versus [5]).

Itaque, quamvis scripta ejus haudquaquam temperaverint ab allegorica, quae maxime Alexandriae viguit, ἑρμηνείᾳ, vix tamen eum contendamus istius fuisse interpretum classis, quae scholam Alexandrinam effecit; sed propter ipsam in rebus computandis et inter se conferendis et enucleandis positam curam majori jure primis quidem labris degustasse eum dixerimus disciplinam, quae rejectis allegoriae somniis summo cum fructu in Asia minori maxime Antiochiae sequentibus saeculis excolebatur.

Quantam vim Noster ut interpres sacrae scripturae excercuerit in aequales, inde apparet, quod Ambrosius, Origenis fautor, ejus interpretationes in Hexaëmeron conjungere studuit cum Origenis Basiliique [6]).

Hieronymus refert [7]), Ambrosium cohortatum esse Origenem, ut in Hippolyti aemulationem scriberet in sacram scripturam commentarios. Gieseler quidem [8]) vult, Hieronymum haec habere ex loco apud Eusebium male intellecto. Concedimus quidem, ad verba » ἐξ ἐκείνου « apud Euseb. VI, 23. supplendum esse verbum χρόνου, putemus tamen inde concludendum esse, Origenem per Hippolytum incitatum esse ad conscribendos commentarios perpetuos in sacram scripturam. Nam quaerendum est, ex quo tempore Origenes confecerit commentarios. Certo ex illo tempore, quo

---

3) De Antichristo cap. 61. (διώκων τὴν ἐκκλησίαν) ἔχουσαν μεθ' ἑαυτῆς οὐδὲν ἕτερον εἰ μὴ τὰς δύο πτέρυγας τοῦ ἀετοῦ τοῦ μεγάλου, τουτ' ἔστιν Ἰησοῦ Χριστοῦ πίστιν, ὃς ἐκτείνας τὰς ἁγίας χεῖρας ἐν ἁγίῳ ξύλῳ ἥπλωσε δύο πτέρυγας δεξιὰν καὶ εὐώνυμον κ. τ. λ. Cf. apud Simonem cap. 42. et 43.

4) Cf. §. 20. Ceillier l. l. p. 363.

5) Hipp. critice textum sacrae scripturae restituisse, eo quoque probari videtur, quod in eodem codice Chlsiano, quo LXXviralis interpretatio servata est, haud exiguum fragmentum Nostri in Danielem commentarii legitur. Num Origenes ipse hoc fragmentum Tetraplis addiderit (cf. Simonem l. l. in praefat. p. XXVI), dubito, quia illud excerptum tantum esse ex Hipp. commentario in Danielem supra (§. 38.) probavimus. Nonne fortasse quidam posteriorum, qui LXXviralem interpretationem restituere studuerit, ex Hipp. libris hoc fragmentum excerpserit et illi versioni addiderit, quia ejus interfuerit quam brevissime constituere, quomodo Danielem legerit et explicuerit Hipp. Si verisimile est, illud fragmentum ante IV. saec. medium collatum esse (cf. §. 33.), conjicere licet, quantam vim exercuerit Hipp. in eos, qui ejus aetati proximi fuerunt.

6) Hieron. in epist. 84. ad Pammachium et Oceanum. cf. §. 18. not. 1.

7) In catalogo cap. 61.

8) L. l. p. 275.

eum in Arabiam a duce quodam Arabiae arcessitum esse narratur ab Eusebio VI, 19. Capite 20 et 21 idem tradit, qui episcopi illo tempore (scil. quo in Arabiam profectus est Origenes) claruerint; cap. 22. profert illos Hippolyti libros, quos cognovit. Quum vero Hippolytum in Arabia vixisse verisimile sit, deinde quum primus composuisse videatur commentarios in sacra scripta; porro quum apud Eusebium cap. 22. ejusdem laudentur scripta: sane non caret omni verisimilitudine conjectura, per eum Origenem, in cujus interpretandi rationem vix exerceret vim aliquam, incitatum esse, ut et perpetuos in sacra scripta componeret commentarios, et contextum sacrae scripturae critica ratione restitueret [9]).

Non possumus, quin adjiciamus, quomodo cogitaverit de canone sacrae scripturae. Citavit librum Tobiae [10]), laudavit nonnulla ex prophetae cujusdam oraculis, quae hodie non leguntur [11]). Historiam Susannae, quam non genuinam putasse Judaeos dixit, quia eos puderet seniorum illorum, qui tantam injuriam perpetrati essent, Danieli adscripsit [12]). Apocalypsin conscriptam ab Joanne evangelista Nostrum putasse, supra (§. 38.) vidimus; eum vero secutum Irenaeum Paulo apostolo derogasse epistolam ad Hebraeos, testatur Photius [13]).

§. 60. *Qualem vim habuerit Hippolytus ut fidei Christianae propugnator.*

Quam vim in excolendam doctrinam Christianam exercuerit Hippolytus, puto, futurum fuisse, ut optime intelligeretur, si ejus systema proferre licuisset. Hippolytus vero non perfectum sibi excogitavit systema. Attamen, quas de nonnullis locis fidei foverit sententias, laudare nobis licet. Afferre igitur volumus ea, de quibus latius disseruit, quae sunt dogmata de trinitate, de duabus Christi naturis, de rebus novissimis.

§. 61. *1) De trinitate.*

Deus est unus [1]). Qui non aliter intelligi potest, quam vere fide habita in Patrem, Filium, Spiritum sanctum, nam Verbum Patris jussit, discipulos gentes baptizare in nomine Patris, Filii, Spiritus sancti [2]). Una vero divina substantia est in Deo Patre, in Filio, in Spiritu sancto [3]). Ut demonstraret, sane fieri potuisse, ut divina substantia in Deo Patre eadem esset tum ante tum post generatum λόγον, usus est imagine repetita e sole ejusque radiis, de utroque lumine altero ab altero incenso, de fonte fluvioque [4]).

---

9) Itaque verisimile videtur, Hipp. Origene praesente homiliam habuisse eo tempore, quo hic Arabiam petiit.
10) Cf. apud Fabricium Vol. I, p. 277.
11) De Antichris to cap. 15. et 54.
12) Apud Fabric. Vol. I. p. 263.
13) Cod. 121.

1) Cf. cont. Noëtum cap. 9. 11. 14.
2) Ibid. cap. 14. ἄλλως δὲ ἕνα θεὸν νομίσαι μὴ δυνάμεθα, ἐὰν μὴ ὄντως πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι πιστεύσωμεν.
3) Ibid. cap. 14. οἰκονομία συμφωνίας συνάγεται εἰς ἕνα θεόν.
4) Ibid. cap. 11.

De Deo Patre non latius loquitur, nisi quod Filium atque Spiritum sanctum Patri posthabendos esse contendit [5]).

Ex Deo Patre originem duxit *λόγος*, qui, ut omnia, ante mundum creatum fuit in Deo [6]). Quum Deus vellet, *λόγος* exstitit [7]). Quomodo vero *λόγος* ex deo evaserit, hanc quidem quaestionem ut stultam ablegavit, quum homo ipse ne suam quidem originem indicare posset, atque duo tantum evangelistae Christi secundum carnem modo generationem narrassent [8]). Itaque fiebat, ut de *λόγου* origine indefinite loqueretur. Aliis locis usus est formula, Deum generasse *λόγον* [9]), aliis, deum ostendisse sive revelasse (*δεικνύναι*) *λόγον* [10]). Quum vero hac ultima formula saepius quam illa uteretur, atque ipse diceret, Deum emittentem primam vocem, visibilem reddidisse *λόγον* [11]), equidem contenderim, illum symbolico tantum modo intellexisse notionem generandi. Per quem *λόγον*, inquit, mundus creatus est [12]). Idem dedit legem et prophetas atque hac re illos coegit, ut per Spiritum sanctum loquerentur [13]). Quum vero prophetae promitterent *λόγον* incarnatum, *λόγος* per prophetas se ipsum praedicavit [14]). Idem *λόγος*, qui, quamvis mundo creato visibilis fuerit, a mundo non cognitus est, incarnatus apparuit [15]). Huic incarnato *λόγῳ* addidit epitheton *υἱὸς τοῦ θεοῦ* [16]). Quem Filium Dei Hippolytum sibi cogitasse tanquam personam constat [17]). Dubium vero videtur, num *λόγον* non incarnatum tanquam personam sibi cogitaverit. Nominat enim *λόγον* »*τῶν γινομένων ἀρχηγὸν καὶ σύμβουλον καὶ ἐργάτην*« et »*κύριον* [18])«. Ab altera parte *λόγον* pro qualitate Dei habuisse videtur, quum contendat, omnia esse facta per *λόγον* et *σοφίαν*; per *λόγον* creata, per *σοφίαν* ornata [19]). Quum vero *λόγον* esse *δύναμιν* perspicuis verbis doceat [20]), apparet, illa epitheta *τῷ λόγῳ* addita allegorico modo intelligenda esse.

---

5) Ibid. cap. 14. *ὁ γὰρ κελεύων πατήρ, ὁ δὲ ὑπακούων υἱός, τὸ δὲ συνετίζον ἅγιον πνεῦμα.* Cf. not. 20.
6) Ibid. cap. 10. *πάντα γὰρ ἦν ἐν αὐτῷ (θεῷ), αὐτὸς γὰρ ἦν τὸ πᾶν. — ὃν λόγον ἔχων (θεὸς) ἐν ἑαυτῷ κ. τ. λ.*
7) Ibid. cap. 10. *ὅτε ἠθέλησεν, καθὼς ἠθέλησεν, ἔδειξε τὸν λόγον κ. τ. λ.*
8) Ibid. cap. 16. 9) Ibid. capp. 10. 16.
10) Ibid. capp. 10. 11. 12. 14. 15.
11) Ibid. cap. 10. *ἐν λόγοις . . . . ὁρατὸν ποιεῖ, προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος κ. τ. λ.*
12) Ibid. cap. 10. *δι᾽ οὗ (λόγου) πάντα ἐποίησεν.*
13) Ibid. cap. 11. *οὗτος (λόγος) δὲ ἔδωκεν νόμον καὶ προφήτας, καὶ δοὺς διὰ πνεύματος ἁγίου ἠνάγκασεν τούτους φθέγξασθαι.*
14) Ibid. cap. 12. *ἐν τούτοις (τοῖς προφήταις) τοίνυν πολιτευόμενος ὁ λόγος ἐφθέγγετο περὶ ἑαυτοῦ, ἤδη γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ κήρυξ ἐγίνετο, δεικνύων μέλλοντα λόγον φαίνεσθαι ἐν ἀνθρώποις.* Cf. de Antichristo cap. 4.
15) Ibid. cap. 12. Cf. not. 11.
16) Ibid. cap. 15. *οὔτε γὰρ ἄσαρκος καὶ καθ᾽ ἑαυτὸν ὁ λόγος τέλειος ἦν υἱός, καίτοι τέλειος λόγος ὢν μονογενής, οὔθ᾽ ἡ σὰρξ καθ᾽ ἑαυτὴν δίχα τοῦ λόγου ὑποστῆναι ἠδύνατο, διὰ τὸ ἐν λόγῳ τὴν σύστασιν ἔχειν· οὕτως οὖν εἷς υἱὸς τέλειος θεοῦ ἐφανερώθη.*
17) Ibid. capp. 7. 14.
18) Ibid. cap. 10. Cf. Martini l. l. pag. 147.
19) Ibid. cap. 10. *πάντα γὰρ τὰ γινόμενα διὰ λόγου καὶ σοφίας τεχνάζεται, λόγῳ μὲν κτίζων, σοφίᾳ δὲ κοσμῶν.*
20) Ibid. cap. 11. *Δύναμις γὰρ μία ἡ ἐκ τοῦ παντός, τὸ δὲ πᾶν πατήρ, ἐξ οὗ δύναμις λόγος. Οὗτος δὲ νοῦς ὃς προβὰς ἐν κόσμῳ ἐδείκνυτο παῖς θεοῦ.*

De Spiritu sancto pauca modo verba facit; eum autem illum non tanquam personam cogitasse, supra [21]) probavimus.

Hippolytus igitur non contendit, tres personas esse in uno Deo, sed perspicuis verbis docuit, unum deum triplici modo se revelasse [22]), Patrem atque Filium esse personas [23]); *λόγον* vero non incarnatum atque *πνεῦμα ἅγιον* esse personas negavit [24]).

§. 62. 2) *De duabus Christi naturis.*

Quum Deus vellet, homines secum reconciliari, necesse fuit, ut mediator quidam, qui conjungeret divinam atque humanam naturam in mundum veniret [1]). Itaque descendit Verbum divinum in sinum Mariae, in quo assumpsit humanum corpus atque humanam animam [2]). Christo vere fuisse duas naturas, satis sensualiter eo demonstrat, quod argumentum naturae humanae profert hoc, Christum subjectum fuisse humanis affectibus, divinae autem haec: testimonia angelorum atque sanctorum hominum, quorum mentio fiat in N. T.; miracula, quae ipse Christus fecerit, atque quod discipulis dederit potestatem peccatorum remittendorum [3]). Quae naturae arcte, non confuse, conjunctae sunt, ut idem esset verus deus atque verus homo [4]).

§. 63. 3) *De rebus novissimis.*

Quingentis annis post Christum adventurum esse Antichristum eo probat, quod psalm. 89, 4. vulgari tum temporis modo interpretans atque respiciens ad Danielis oraculum de septuaginta hebdomadibus annorum demonstrat, inde a mundo creato usque ad Christum praeterlapsos esse annos quinquies mille quingentos [1]). Antichristus simulans Christum in errorem deducere studebit homines atque persequetur eos, qui eum colere recusaverint [2]). Qui quum tres et dimidiam hebdomades annorum

---

21) Cf. §. 46. not. 7.
22) Cont. Noët. cap. 8. *ὅσον μὲν κατὰ τὴν δύναμιν, εἷς ἐστι θεός; ὅσον δὲ κατὰ τὴν οἰκονομίαν, τριχὴς ἡ ἐπίδειξις.*
23) Ibid. cap. 14. *πατὴρ μὲν γὰρ εἷς, πρόσωπα δὲ δύο, ὅτι καὶ ὁ υἱός κ. τ. λ.*
24) Cf. not. 20 et 21.
1) Apud Fabric. vol. II. pag. 45. *ἔδει οὖν* (Gal. 3, 20) *τὸν Χριστὸν θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτην γενόμενον παρ' ἀμφοτέρων ἀῤῥαβῶνά τινα εἰληφέναι, ἵνα φανῇ δύο προσώπων μεσίτης.*
2) Cf. contra Noëtum cap. 17: *πιστεύσωμεν οὖν κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀποστόλων, ὅτι θεὸς λόγος ἀπ' οὐρανῶν κατῆλθεν εἰς τὴν ἁγίαν παρθένον Μαρίαν, ἵνα σαρκωθεὶς ἐξ αὐτῆς, λαβὼν δὲ καὶ ψυχὴν τὴν ἀνθρωπίνην, λογικὴν δὲ λέγω, γεγονὼς πάντα ὅσα ἐστὶν ἄνθρωπος, ἐκτὸς ἁμαρτίας, σώσῃ κ. τ. λ.* Cf. apud Fabr. vol. I. pag. 267.
3) Cf. Noëtum cap. 17. cf. Fabric. vol. I. pag. 225 et 268.
4) Apud Fabr. vol. I. pag. 282. *ἐκέρασεν εἰς κρατῆρα τὸν ἑαυτῆς οἶνον, εἰς τὴν παρθένον τὴν ἑαυτοῦ θεότητα ἑνώσας τῇ σαρκὶ ὡς οἶνον ἄκρατον, ὁ σωτὴρ ἐγεννήθη ἐξ αὐτῆς ἀσυγχύτως θεὸς καὶ ἄνθρωπος.* — Ibidem pag. 225. cont. Noët. cap. 17.
1) Cf. de Antichristo cap. 4. apud Simonem cap. 39. 82. 4. cf. §. 33.
2) Cf. de Antichristo capp. 6. 49. 54.

regnaverit, advenient Henoch et Elias, Christi adventum praedicaturi [3]). Quum vero Christus advenerit, terra peribit, omnes animae in vitam redibunt in diem judicii ultimi [4]). Quo die quaeque anima usque eo in orco versata vestietur eodem corpore, quo praedita priorem degebat vitam [5]). Nostrum autem chiliasmum fovisse, nullo loco probari potest.

§. 64. *Quomodo Hippolytus se habuerit ad partes theologicas, quae ejus aetate vigebant.*

Primis post Christum saeculis Christiana doctrina ex tribus imprimis partibus exculta est. In altera parte fuerunt Gnostici aliique doctores in haeresin proclives, qui vanis somniis ex philosophiae satis peculiari forma petitis merum verbum divinum adulterarent. Quos refutabant ab altera parte Patres ecclesiastici, qui duplici in universum studio ducebantur, aut enim omnia ad usum vitae revocabant (practisch-realistische Richtung), aut ducti magis ideis in disputando versabantur (idealistische Richtung). Dum illorum studia florebant in Asia minori, Alexandriae doctrina Christiana hac via exculta est. Nostrum igitur est, ut probemus, quomodo Hippolytus se habuerit ad tria illa studiorum genera. Quod attinet ad priorem quaestionem, num Hippolytus haereticus fuerit, hanc quidem solventibus ad doctrinam christianam, quae ejus aetate valebat, respiciendum est, non vero ex doctrinae forma, qualis aliquo seriore tempore tanquam orthodoxa et ecclesiastica stabiliebatur, judicandum est. Atque primum quidem ipse Hippolytus somnia Gnosticorum rejecit [1]), nec non omnes haereticos a primis usque ad Noëtum, qui recentissimus illius aetatis fuit, refutavit [2]). Deinde vero utrius Patrum partis fuerit, non difficile est intellectu. Eum enim cum Alexandrinis non conjunctum fuisse, in aprico est, quum hi contenderent, tres esse divinas ὑποστάσεις [3]), atque secundam divinam personam ab aeterno genitam semper fuisse dei Filium [4]), Noster vero doceret, λόγον et πνεῦμα ἅγιον non esse personas, sed λόγον tunc tantum, quum carne assumpta nasceretur, personam atque Filium dei evasisse [5]). Porro discrimen inter πίστιν et γνῶσιν non probabat, non fovebat methodum sacrae scripturae triplici modo interpretandae; atque quomodo, qui rejecit paganam philosophiam [6]), concessisset, eandem adducere ad fidem [7])? At respexit ad philosophiam neo-platonicam [8])! Sane fovebat nonnullas sententias,

---

3) Cf. ibid. cap. 43. Cf. §. 33. 4) Cf. ibid. cap. 64 et 65.
5) Cf. contra Graecos apud Fabric. Vol. I. pag. 221: *ἐν ᾧ ψυχαὶ πάντων κατέχονται ἄχρι καιροῦ, ὃν ὁ θεὸς ὥρισεν. Ἀνάστασιν τότε πάντων ποιησόμενος, οὐ ψυχὰς μετενσωμάτων, ἀλλ᾽ αὐτὰ τὰ σώματα ἀνιστῶν.*
1) Cf. §§. 19. 44. 48. 2) Cf. §§. 44. 46.
3) Cf. Origenem in Joannem I, 2. (de la Rue IV, pag. 60) *ἡμεῖς τρεῖς ὑποστάσεις πειθόμενοι τυγχάνειν, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα κ. τ. λ.*
4) Orig. in Jeremiam. hom. IX. (Tom. III. pag. 181) *οὐχὶ ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν, καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν ὁ πατὴρ ἀπὸ τῆς γενέσεως αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ἀεὶ γεννᾷ αὐτόν.*
5) Cf. §. 61. 6) Cont. Noët. cap. 9.
7) Cf. Clemens in Strom. (ed. Potter. I. pag. 331) *ἐπαιδαγώγει καὶ αὐτὴ (ἡ φιλοσοφία) τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους εἰς Χριστόν.*
8) Cf. Martini l. l. pag. 146.

quae originem duxerunt e schola, quam dicunt neo-platonicam, sed minime ex paganis cogitationibus petitas intulit Christianae doctrinae, sed eas tantum, quae jam ab Joanne evangelista innexae fuerant Christianis cogitationibus, excoluit. Id quod satis eo apparet, quod in excolenda notione λόγου ubique rediit ad prologum, quem Joannes evangelio praemisit [9]). Qua re denique adducimur in sententiam, Nostrum cognatum fuisse Irenaeo, qui Polycarpo, discipulo Joannis, praeceptore usus incitaretur ad excolendam notionem λόγου. Iis enim, quae Irenaeus et Hippolytus de secunda divina persona docuerunt, comparatis, negare quidem non possumus, utrumque diverso modo disputasse, attamen inter se non oppositi erant, sed Hippolytus notiones magis excoluit atque accuratius explicuit. Irenaeus non distincte docuit, utrum λόγος divina potestas an persona cogitandus esset [10]). Sed hoc inde factum est, quod inter λόγον non incarnatum et incarnatum non discrevit, sed notionem »υἱὸς τοῦ θεοῦ« cum notione »λόγος« plane commiscuit. Hippolytus vero, qui quidem concessit, λόγον non incarnatum in sacra scriptura Filium dei nominari, quia futurum fuisset, ut carnem assumeret, quum tamen inter λόγον non incarnatum et incarnatum sive dei Filium discrimen fecisset [11]), illam quaestionem, utrum λόγος divina potestas an persona sit cogitandus, rectius dijudicare potuit. Deinde igitur dum Irenaeus in sententiam deducitur, λόγον sive dei Filium aeternum fuisse [12]), Hippolytus non negat, λόγον semper adfuisse, sed vult, illum ante initium demum rerum a deo esse revelatum [13]). Filium vero quoad dignitatem Patri esse posthabendum, uterque contendit [14]). Quanquam autem illi duumviri de dogmate, quod antiquissimis ecclesiae temporibus tantopere tractatum est, dissentiunt, ita quidem (quod omni vi tenendum puto), ut non plane oppositi videantur, sed alter alterum excipiat atque corrigat; eodem tamen sensuali modo nixi in loco Gal. 3, 20 probare student, duas fuisse Christi naturas, de Antichristi atque Christi adventu secundo, de animarum in vitam reditu ita consentiunt, ut non dubium sit, quin alter ex altero hauserit [15]). —

Jamjam quaerentes, quantum momenti Hippolytus habuerit in excolendam theologiam, quum eum Alexandrinis oppositum cum Irenaeo conjunxerimus: contendendum nobis est, eum in partes theologorum aliquas, quae Alexandrinis oppositae sunt, vim exercuisse. Atque, etiamsi mirum videatur, non possumus, quin putemus, Beryllum et Sabellium Hippolyto cognatos fuisse. Quod mirum videri diximus, nam Hippolytus Noëtum refutavit, Noëtus vero cum Beryllo conjungi solet [16]). Atque sane Noëtus et Beryllus haud dissimilia docuerunt, sed ita se ha-

9) Cf. cont. Noët. imprimis cap. 14. ταῦτα μὲν οὖν σημαίνουσιν αἱ γραφαί, ταύτην τὴν οἰκονομίαν παραδίδωσιν ἡμῖν καὶ ὁ μακάριος Ἰωάννης ἐν εὐαγγελίῳ μαρτυρῶν κ. τ. λ.
10) Cf. Martini l. l. pag 66—70. Stieren de Irenaei adversus haereses operis fontibus etc. §. 28.
11) Cf. cont. Noët. cap. 15. §. 61. not 16 et 20.
12) Cf. Martini l. l. pag. 70. Stieren l. l. ibidem.
13) Cf. cont. Noët. cap. 10.
14) Martini l. l. pag. 71. Stieren l. l. ibid. Cf. §. 61. not. 5.
15) Cf. §. 4.
16) Cf. Schleiermacher in der von ihm herausgegebenen »theologischen Zeit-

buerunt, ut hic illius sententiis correxisse videretur. Noëtus enim negavit, deum invisibilem inter et revelatum intercedere discrimen, voluit igitur, totam Patris deitatem fuisse in Filio [17]). Quam sententiam probare non poterant Patres ecclesiastici, nam si illam urges, sequitur, humanam naturam Christo esse derogandam. Humana enim natura finibus est circumscripta; si igitur deus carnem assumpsit, necesse fuit, ut divina natura finibus coërceretur. Sin tota Patris deitas in Filio fuisset, ei humana natura minime adscribenda esset, nam deus est infinitus. Id quod Beryllus quum intellexisset, Noëti sententiam ita explicuit, ut contenderet, in Filio divinam substantiam certis limitibus circumscriptam esse [18]). Summum enim Beryllianae doctrinae Eusebio teste [19]) hoc fuit:

»Βήρυλλος . . . . . . ξένα τινὰ τῆς πίστεως παρεισφέρειν ἐπειρᾶτο, τὸν » σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν λέγειν τολμῶν μὴ προϋφεστάναι κατ᾽ ἰδίαν οὐσίας » περιγραφὴν πρὸ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, μηδὲ μὴν θεότητα ἰδίαν ἔχειν, » ἀλλ᾽ ἐμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικήν.«

Ex quibus evadunt hae duae sententiae. Altera, λόγον non incarnatum non fuisse divinam personam, ex quo vero concludere non licet, Beryllum λόγῳ omnino aeternitatem derogasse. Eodem modo Hippolytus, qui voluit, λόγον quidem fuisse aeternum, sed non aeternam personam, cum carne assumpta personam demum factum esse [20]). Altera, Christo non aliam, nisi paternam, deitatem inhabitasse. Itaque quoad deitatem nullum inter Patrem et Filium statuebat discrimen, quam illud, quod περιγραφῆς nomine designabat, hoc igitur, divinam substantiam in Patre totam atque absolutam fuisse, in Filio vero finibus quibusdam circumscriptam. Ad quam sententiam facile adduci potuit hac Hippolyti sententia, λόγον non incarnatum non fuisse perfectum atque unigenitum Filium dei, sed perfectum Filium dei tunc demum factum esse, quum humanam assumpsisset naturam [21]). Quum enim humana natura finibus circumscribatur, sequitur, λόγον incarnatum ex Hippolyti sententia limitibus fuisse coërcitum [22]).

Quod si recte disputavimus, sequitur, Hippolytum adeo vim quandam exercuisse in Sabellium, quippe cujus doctrinam cum Berylli cohaesisse, satis constet [23]). Atque iis, quae de cujusvis illorum virorum doctrina servata sunt, comparatis, Sabellii similior videtur Hippolytus quam Berylli. Beryllum enim de Christi naturis locutum esse tantum refertur, num vero de spiritu sancto disputaverit, haec quidem quaestio hodie

---

schrift.« 1822. 3tes Heft. pag. 330. Ullmann theologische Studien und Critiken. 1836. Heft 4. pag. 1076 et 1089.

17) Hipp. cont. Noët. capp. 1—8. imprimis cap. 1. ἔφη (Νόητος) τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι τὸν πατέρα, καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα γεγεννῆσθαι καὶ πεπονθέναι καὶ ἀποτεθνηκέναι. Cf. Schleiermacher l. l. pag. 319 sqq.

18) Cf. Ullmann l. l. pag. 25. Schleiermacherus igitur minus recte contendit, Noëtum et Beryllum plane idem docuisse. l. l. pag. 330 et 331. Cf. Ullmann theol. Stud. l. l. pag. 1089.

19) VI, 33.

20) Cf. §. 61. not. 16. 17. 23.

21) Cf. §. 61. not. 16.

22) Hipp. et Beryllum esse conjungendos, magis elucebit, si quae de Berylli doctrina Ullmannus (l. l. cap. IV. et theol. Stud. l. l. pag. 1073 sqq.) acutissime disputavit, contuleris cum iis, quae de Hipp. doctrina supra (§. 61.) attulimus. Ita e. c. utrumque Christo animam humanam concessisse.

omnino non solvi potest. Hippolytus autem de notionibus trinitariis amplius disseruit; docuit, duas tantum esse personas, Patrem atque Filium; λόγον vero non incarnatum et spiritum sanctum personas esse negavit; contendit, κατὰ τὴν δύναμιν deum esse unum, quod vero ad oeconomiam attineret, triplicem esse revelationem. Nonne simillima est doctrina Sabellii, qui unum deum triplici modo Patrem, Filium, Spiritum sanctum se revelasse contendit[24])?

Schleiermacherus ipse, qui quidem voluit, Hippolytum in partibus orthodoxorum fuisse, concessit tamen, ejus doctrinam ad Arii vel Berylli vel Sabellii sententias quodammodo accessisse[25]). Nolumus negare, Hippolytum non ubique satis accurate atque perspicue disseruisse, nec deesse locos, qui in Athanasii sententiam verti possint, nam saepe tropice non adhibita dialectica arte locutus est; tenemus tamen locos supra (§. 61.) laudatos, ex quibus apparet, illum dogma, quod postea auctore Athanasio tanquam ecclesiasticum stabilitum est, nullo modo probare potuisse.

Haec hactenus! Hic insistamus, nam neque est hujus loci, quomodo dogma de trinitate sensim sensimque excultum sit, copiosius narrare, neque nostrae juveniles vires sufficiant, rem gravissimam atque obscuram accurate exponere. Si vero haud inepte disputaverimus, testimonium Hippolyti celeberrimi patris, qui ex schola, ut ita dicam, Joannis apostoli originem duxit, argumento alicui sit theologis, qui recentissimo tempore Sabellii doctrinam propius quam Athanasii disputationes ad merum scripturae verbum accedere docent, quique rejiciunt artificiosam illam dogmatis de trinitate formam tanquam non ex sacris scriptis, sed a philosophis in theologiam delatam.

Quid vero mirum est, quod Hippolytus ab Alexandrinis, a quibus dogma ecclesiasticum excultum est[26]), ita discessit, quum postularet, ut theologus non ex alio fonte quam ex sacris scriptis hauriret[27])? Qualis quum fuerit Hippolytus, num ne catholici etiamnunc eum Romanis scriptoribus esse annumerandum volent? Vix putaverim, illos pro sua re aliquid gloriolae petere posse ex Hippolyti sincera doctrina, qualem hucusque ex locis superstitibus depinximus. Nec minus orthodoxi, quos dicunt, qui traditionem majoris quam scripturam sacram aestimare videntur, respiciant ad historiam, ne certamine ducto detrimentum capiant ecclesiae Domini nostri!

23) Cf. Neander l. l. pag. 1018. Schleiermacher l. l. pag. 358. Ullmann theol. Stud. l. l. pag. 1090.

24) Basilii epist. 210. τὸν αὐτὸν θεὸν ἕνα τῷ ὑποκειμένῳ ὄντα, πρὸς τὰς ἑκάστοτε παραπιπτούσας χρείας μεταμορφούμενον, νῦν μὲν ὡς πατέρα, νῦν δὲ ὡς υἱὸν, νῦν δὲ ὡς πνεῦμα ἅγιον διαλέγεσθαι. Cf. Neander l. l. p. 1021. Schleiermacher l. l. p. 355 usque ad finem.

25) Cf. l. l. p. 327.

26) Cf. Schleiermacher l. l. p. 356 et 402.

27) Cont. Noët. cap. 9.

Πᾶν ὅτι ἂν ποιῆτε, ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ, εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ καὶ πατρὶ δι' αὐτοῦ.

Ad Colossenses 3, 17.

Conspectus libelli.

Corrigenda.

Pag. 1	lin. 26	pro diversum	lege	diversam.
— 3	— 46	— p. 8 et 143	lege	p. 4 et 56.
— 6	— 48	— p. 92	lege	nro 2. p. 37.
— 8	— 7	— laudet	lege	laudat.
— 9	— 12	— sin	lege	si.
— 31	— 24 }	— quatuor	lege	tribus.
— 32	— 34 }			
— 43	— 1	— qua e	lege	quae.
— 49	— 18	— proposuiset	lege	proposuisset.


C 684.80
De Hippolyto episcopo,
Widener Library
003282296
3 2044 081 740 227